

**Casparus Brülovius**

**‘Andromede’**

Tragoedia  
(1612)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Oktober 2006

## Tragoediae Personarum Nomina

Iuno	Dea suprema coeli
Amphitrite	Dea maris, Neptuni uxor
Nereides	Deae marinæ IV
Nemesis	vaniloquentiae vindex, superbiae ultrix
Neptunus	
Oraculum Iovis Ammonis	
Industria	
Emathion	Ammonis Sacerdos
Cepheus	Rex
Cassiope	Regina, Cephei coniux
Andromede	Cephei et Cassiopes filia unica
Perseus	liberator Andromedes, Cephei gener
Phineus	frater Cephei
Phinei Socii III	Nobiles
Bulaeus	Consiliarius Regius
Gynaeceum Cassiopes	
Gynaeceum Andromedes	
Incolae Ioppes II	
Nutrix	
Nuncius	
Praeco	
Coloni III	
Vxor Coloni primi	
Opilio	
Chorus Virginum	Musica
Chorus Civium Ioppensium	Musica

## Tragoediae Periocha

Iuno, poli Regina, Deaque marmoris  
Tridentigerum numen precantur supplices,  
Vt belluam ciat maris ex voragine  
Ad puniendam Cassiopes superbiam.  
Dictum atque factum. mox marinum proruens      5  
Monstrum calamitate afficit omnes incolas.  
Cepheus sui noscens regni statum, celer  
Oracula Iovis consulenda Ammonii  
Adit rogans, quae causa sit tanti mali  
Et quo modo possit iterum bellua abigi.      10  
Ibi filiam Andromedam, unicum solatium,  
Ob Cassiopes matris superbos spiritus  
Praedam petebat belluae Ammon Iuppiter.  
Veniunt Deorum iussibus Nereides,  
Quae virginem praedam ferae scopulo alligant.      15  
Hanc Perseus monstro peremto liberat  
Illamque thalami vinculo sibi sociat.  
Phineus, prius cui virgo desponsata erat,  
Se maxima affectum putans iniuria,  
Consanguineo quod advena paeferretur, en,      20  
Inter epulandum cum sociis turbas ciet,  
Virtute vero Gorgonis omnes saxea  
Simulacra fiunt. finis hic est praelii,  
Andromeda cum diademate manet Perseum.

5

10

15

20

## **Actus primus**

### **Scena prima**

Iuno

- Iu.     Regina prodeo veneranda coelitum,  
Coniux Iovis ter maximi et soror unica.  
En, qua resurgens lucidis Titan comis  
Indos propinqua tingit luce subditos,  
En, qua cadentes pronus inflectens equos       5  
Gratae sorori cedit alternas vices  
Patruique lasso stagna crispat lumine,  
Quacunque Nereus margines terrae alluit:  
Innotuit Regina Iuno coelitum.  
Qui vasta Pactoli et Tagi flumina bibunt,       10  
Quique nive damnatas et aeterno gelu  
Glacieque inertes sub polis habitant plagas,  
Iunonis admiranda adorant numina.  
Numerare digitis vis meas provincias?  
Percurrito omnes. cyaneo insidens sinu       15  
Ostento vultus uideos tepido aëre  
Aurasque lenes atque ventorum impetus;  
Et saepe commistos, nigrantes grandine  
Nimbos cio atque horribili Olympum murmure  
Compleo, gravi ut perterritae formidine       20  
Matres virique nocte opaca optent tegi.  
Quid? sunt iugalia mihi curae vincula,  
Et alma genialis thori praeses color  
Virosque iungo foeminis connubio;  
Hinc rite diva Iuno dicor pronuba.       25  
Quid? in ima si lubet ire terrae viscera,  
Argento et auro saturae ubi venae scatent,  
Et hic potentiam meam late exero.  
Sed in Deabus impero immortalibus,  
Coniux quod exemplo probat Vulcania,       30  
Quae splendido foetum ferens in Lampsaco  
Manus meae attactu, venenis illitae,  
Progenuit infantem indecorum corpore.  
Bis septem obediunt mihi Nymphae, comis  
Passis honestae, purpura tinctae genas       35  
Orisque gratia decorae, corpore  
Praestante toto, servientes cultui  
Nostro atque honori praedicando perpetim.

Hinc licet in orbe, quaque purpureus dies  
 Vtrumque clara lustrat Oceanum rota,  
 Sacris Sabaeo mihi litetur munere  
 Focis, tamen tres perplacent prae aliis mihi  
 Vrbes: Mycena magna Spartaque nobilis  
 Argosque Achaicum, mihi quae sacra ferunt  
 Sparguntque vaccae candidae aras sanguine  
 Tepente. quanta, quanta sunt ea munera,  
 Quibus universas res beo mortalium!  
 Quicquid polus, quicquid habet aë et solum,  
 Quicquid alit Oceanus, id ubertim impleo.  
 Quae dona terrigenum licet pars maxima  
 Grata colat memoria et in laudes meas  
 Effundat omnes ingenii vires sui,  
 Turbae tamen male feriatae concio  
 Hinc inde reptitat, suis quae viribus  
 Confisa, ut olim plena Centauris iuga  
 Olympium Iovem, impio ausu coelites  
 Turbare conentur sua de regia.  
 Pro praestitis sibi beneficiis affatim  
 Arietis exolvunt maligni praemium  
 Anguisque pro salute reddunt gratiam,  
 Benefacta probris polluentes improbis.  
 In quempiam mortalium tantum nefas  
 Si cadere mortales negent, dictis fidem  
 Facile astruo meis. an illam CEPHEI,  
 Qui sceptra Ioppes gestat arce in regia,  
 Nescitis improbam et protervam coniugem?  
 Linguae procacis ac maleficae foeminam?  
 Si foeminam vocare fas est, quae effera  
 Immanitate vincit omnes belluas.  
 Fera digna Cocytii vadis flammantibus,  
 Raptatur acta ubi tortus Ixion rota,  
 Vbi grande saxum Sisyphi collo sedet,  
 Vrnisque rimosis aquam Danaides  
 Frustra hauriunt, ubi Tityus, terra satus,  
 Semper renato iecore pascit vulturem.  
 O foemina! o Deabus immortalibus  
 Exosa mihi que et omnibus mortalibus,  
 Formaene demens audeas praestantia  
 Contendere adversus sororem ac coniugem  
 Summi Iovis? quae prae Deabus coeteris  
 Tantum venustate antecedo, syderum  
 Quantum nitorem Solis exuperat iubar.  
 Concilia magna quando aguntur coelitum,  
 Pulcherrima omnium cluet Saturnia.

Pallas mihi, mihi ipsa concedit Venus;85  
 Et se mihi anteponat isthaec putida  
 Mortalis et mortali ab ortu foemina?  
 Aeterna cum iuventa promittat mihi  
 Aeterni honorem floris immutabilem,  
 An detrahatur meo per urbes numini90  
 Mulier caduca? cui senectus arida  
 Genas arbitat inque rugas contrahet?  
 Cui macerata vel brevi febricula  
 Colore mutato rosa genarum cadet.  
 Patrem Deorum pudeat, humano ex satu95  
 Ortam esse, quae cunctis Deabus pulchrior  
 Sublimis homines inter extollat caput.  
 Et pulchrior Iunone si qua est foemina  
 Mortalis, eadem mente quin sit praedita  
 Diviniore, quis ambiget mortalium?100  
 Nam mentis index optimae forma optima est.  
 Quod si ullius divinior mens foeminae  
 Quam sit mihi, quis non Deum consortio  
 Illam esse dicat digniorem, quam ipsa sim?  
 Coelo ergo cede, Iuno, meliori locum105  
 Concede; tandem agnosce heram, cui servias.  
 Non sic abibit: senties Iunonias  
 Iras, scelus, superbiae stabulum impudens.  
 Dominare tumida, stulta cristas erige:  
 Vltor superbos sequitur a tergo DEVS.110  
 Nec contumeliosa verba in coelites  
 Sine clade regnorum expiari se sinunt.

## Scena secunda

Amphitrite, Iuno

Am. Dum iam flagrantis aestus auget Sirii  
 Titan, Leonis terga Nemeaei premens,  
 Aetherque puro lenis afflatu fovet115  
 Anhela gressu pectora, et Zephyri leves  
 Hinc inde perflant, ex profundi gurgitis  
 Imo comas rore madidas leni effero  
 Specularque vasti lata mundi climata.  
 Excursio in campos virentes afficit120  
 Animos labore defatigatos gravi

- Mira suavitate, gignit spiritus  
 Novos et ingenii acuit vegetam indolem.  
 Et magna causa prodeundi iam mihi est,  
 Ex animo ut aegritudinem plane expuam,  
 Quam procreavit insolens iniuria  
 Mulieris impotente fastu perditae.  
 At quam gradum huc movere Divam conspicor?  
 Ni fallor, est Iuno Dearum maxima.  
 Adibo. Dominatrix poli, quaenam tuum  
 Molestet animum cura? fac indicium mihi.
- Iu. Brevissimo complectar ea compendio,  
 Tu facilis attendito vacivis auribus.
- Am. Attendo.
- Iu. nostin clara Ioppes moenia?
- Am. Terrae Palestinae maritima moenia?
- Iu. Illa ipsa.
- Am. sed quid ibi? cedo.
- Iu. id mox audies.
- Illic gerentem sceptrum nosti Cepheum?
- Am. Novi. sed is quid agit? vel egit hactenus?
- Iu. An nota Cassiopaea, coniux Cephei?
- Am. Illam politulam autumas mulierculam?
- Iu. Quid ni? probe novi, velut digitos meos.  
 Quid illa? sodes, fare.
- Iu. dicam maxime.
- Quam sit proterva mulier haec ac insolens,  
 Dici haud potest, quod atrocitas vincat fidem.  
 Quod hominibus sua bona donet Iuppiter,  
 Nostri, sua sponte: huic quidem fortunae opes  
 Subblandientes atque agrorum copiam,  
 Messes opimas, uberes vindemias  
 Laetosque foetus pecudum apumque examina;
- Illi valentes dat lacertos, robore  
 Multos ut antecellat unus, nobiles  
 Et ferat ab hostibus suis victorias.  
 Huic dat scientiam atque dotes ingenii,  
 Vt consiliis bonis iuvet res arduas
- Artesque mente sagace varias proferat.
- Illi dat imperia ampla pulchrisque urbibus  
 Munita, magno civium discrimine.  
 Alii venustatem addit exoptabilem,  
 Forma ut decora accedat ad divum genus;
- Vni dat unum, plura confert alteri,  
 Prout arbitratus fata fuerit Iuppiter.  
 Et haec sua bona finem ad istum dividit
- 125
- 130
- 135
- 140
- 145
- 150
- 155
- 160

	Divina bonitas atque virtus didita, ut Ad superum honorem invitet humanum genus, Illique mutuis iuvent sese officiis. Sed degener mortalium soboles nimis Crebro Deorum abutitur donis datis, Neque hoc neque illud, ut iubent fas ac pium, Exequitur: infami iste luxu perditus,	165
	Libidine ille turpi; avaro huic saxeum Cor, ille pulchellus tumore inflatus est; Tyrannide iste sceptrum mutat regia. Verum malorum quicquid usquam Sol videt,	170
	Id omne Cassiopaea vincit, quae effera Fragili bono formae, omne mulierum supra Longe efferens sese genus, contemptui Omnes habet per universum foeminas.	175
Am.	Factum improbe, quis id neget? interim mihi Mirum esse dudum desiit, quod sanguine Ortas ab humano necique obnoxias Suspedit illa naso adunco foeminas,	180
	Quae est despicata me et meas Nereidas, Quarum iuventam nulla mutant secula, Cum simus immortale Divorum genus.	185
Iu.	Ego ergo non sum sola, quam incestum hoc pecus Vili peperit. convenit mortalium Tritum ore verbum: habere socios in malis Miserum quidem, miseris tamen solatium est.	
Am.	Proh summe Iuppiter! nefas quantum audio! Iovisne coniugem ac sororem spreverit Insana Cassiopaea?	190
Iu.	sic se res habet. Non verita prostibulum Deabus coeteris Formae anteferre se sua praestantia, Sed impudentiae supra omnes terminos	
	Egressa: me in certamen indignissimum Est ausa provocare, tanquam si forem Mortalis ac magnum ipsa sit numen poli.	195
Am.	Quatit horror artus audienti crimina haec. Hoccine sit humanum? haecne Diis est debita Beneficiorum gratia? infandum o scelus!	
	An sterquilinium hocce Iunonem Deam! Quin cum Minerva scropha certamen subit? Cum Venere talpa? cum Diana noctua?	
	Morum improborum o tempora infelia!	200
	Anne pietas male eierata omnis periit? Ergo digitum infamem exerat contra Deam Coeli potentem, immane monstrum hoc foeminae?	205

- Iu. Hoc sic abire impune si permittimus  
 Inertia nostra, gigantes denuo  
 Ad bella superis inferenda armabimus.  
 Rebellionis prima fax contemptus est:  
 Contemptum honorat nemo, contemptum timet  
 Amatque nemo; quis minori pareat?  
 Quis vilioris iussa curet exequi? 210
- Am. Recte autumas, Regina Iuno, in tempore  
 Oportet huic tanto mederi nos malo  
 Et penitus a radice prima exscindere.  
 Frustra advocant sibi medicum, queis in labris  
 Haeret anima extremis; opem frusta rogant,  
 Qui semina veneni sinunt succrescere. 220
- Iu. Recte mones. et sola si defecero,  
 Subsidia contraham quiritando nova  
 Alicunde. causa iusta vindictam exigit  
 Merito severam. iuris is derisor est,  
 Qui vult videri legibus clementior. 225
- Quod si nefas odere superi atque inferi,  
 Si ius amant, nostris favebunt partibus  
 Statuentque poenam huic improbae iustissimam.  
 Si namque coeli ad machinam spectavero, 230
- En, coniugem fratrem, unde vis mihi consilii;  
 Ad inferos si extendo palmas supplices,  
 En, Cereris invictus gener, frater quoque  
 Meus est; is imo e Tartari fundo feras  
 Eumenidas emittet, malorum vindices. 235
- Si maria deinde consulam, germanus est  
 Frater, profundi maximus Rector sali,  
 Qui mihi marinas excitabit belluas,  
 Stupenda cete, monstra vasti ponderis,  
 Quotcunque opus mihi erit in hanc rem, quam paro. 240
- Quin tu Amphitrite nostra consilia adiuvas?  
 Iram tui sine experiri numinis,  
 Iunctis in hostem quo feramur viribus.
- Am. Orare cessa a me, quod ultro ipsa expeto.  
 Nam laesa dudum quaero poenarum viam.  
 Verum diu deliberandum, quod semel  
 Statuere fas; cumque ira, vindicta aestuans,  
 Male consulat neque debitum teneat modum,  
 Quaeso, adhibeamus consilii in partem viros. 245
- Non dubito, quin et Iuppiter fulmen suum  
 Daturus huic sit vindicandae iniuriae.  
 Atque ecce, Neptunum ferentem se obviam. 250

## Scena tertia

## Neptunus, Iuno, Amphitrite

- |     |   |     |
|-----|---|-----|
| Ne. | Vix spumei sonora ponti murmura<br>Fluctusque navifragos premo, vix gurgites<br>Inhibeo praeruptos, tricuspidē vix meo<br>Tot monstra vastitatis horrendae domo.<br>Fluctus mihi sunt molliendi; aestus maris<br>Modo excitandus mihi Deorum iussibus,<br>Modo saevientis impetus sedandus est.<br>Tridente mox verso icta longis tractibus<br>Viscera soli tremore dirum mugunt,<br>Metuitque terra imis revelli sedibus.<br>Nunc, quid meam fidem requirant atque vim,<br>Germana Iuno et Amphitrite uxor mea,<br>Prospicio; nam querimoniae illarum meas<br>Delapsae ad aures conciunt bilem mihi. | 255 |
| Iu. | Supplex ad isthunc utar aequis vocibus:<br>Neptune frater, tibi hominum ac Divum pater<br>Mulcere fluctus ac vadis attollere<br>Pelagus dedit, tibi vitreo sub marmore,<br>Quaecunque pinnarum pererrant aequora,<br>Concredidit manuique subiecit tuae<br>Squamigera cete et belluas vultu horridas.<br>Hac pro tua potentia nunc obsecro,<br>In re nova, mentem meam quae distrahit,<br>Succurre consilio atque factis subleva.<br>Inter sacrum et saxum haereo nec certa sum,<br>Quid agam.  | 260 |
| Ne. | poli Regina, quid velis, tuus<br>Audire gestio: en, fidem et dextram meam;<br>Auxilia, ne dubites, tibi optata adferam.   | 270 |
| Iu. | Neptune frater et mihi oculis carior,<br>Profare, Regis Cephei qua coniugem<br>Via modoque liceat ulcisci improbam.<br>Quae contumeliosa adversus numina<br>Divina, meque et Amphitriten et chorūm<br>Nereidūm, praestantium forma bona,<br>Iniuriis minime ferendis afficit<br>Et, pulchritudine anteponens se omnibus,<br>Ad plusquam iniqua nos vocat certamina.<br>Adeone vilescat Dearum autoritas?<br>Fucata pellex se supra nos efferat?   | 275 |
|     |   | 280 |
|     |   | 290 |

	Nos rideat? habeatque pro ludibrio? Et foeminarum in putidis conventibus Nos virulentis conspuat convitiis, Quasi Diis honore debito indignissimas? Quas ipsa formae honore vincat plurimum? Et sic beatis nos Deorum sedibus Proturbet? ira cor meum disrumpitur, Cum cogito aut recenseo has iniurias.	295
Am.	O care coniux, Rector Oceani potens, Vxor tuo si digna thalamo visa sum Olim, si amore me tuo complexus es, Has vindica atrocissimas iniurias, Quas immerentes sustinemus. nam tuum Carpunt honorem ac labe foeda polluunt: Si iure, quod Themis dedit mortalibus, Diiudicanda ac vindicanda iniuria est, Illata contumelia uxori ad virum Pertingit ipsum. namque honoratum haud decet Thalamum in suum contaminatam foeminam Admittere ac turpi e lupa sobolem sibi Parare; digna uxor viro digno est decus. Et si Deorum sola thalamo convenit, Quam fama constans praedicat pulcherrimam, Adeone cor vecors DEO Neptuno erat,	300
	Vt foemina omnino omnium pulcherrima Praeterita amorem sequiori addiceret?	305
Iu.	Verissimum est, germane: tota iniuria haec Non sola nostra est; pars redundat maxima Deos in ipsos, qui maritas nos sibi Legere, quasi Divum thoro dignissimas. Genus quid allegem? probrosum iudicat Humana gens, si quis propinquus sanguine Virtutibus stirpis suae haud respondeat, Generis decus vita improba contaminans. Hunc in suis numerare cognatis pudet, Illustribusque Equiriis arcent procul. A dignitate an numinum immortalium Defecimus, quae vincimur formae bono Proprio Deorum? Diva sum, Divum genus.	310
	Non sum soror tua? teque fratrem nomino? Non eadem Opis genuere matris viscera? Nonne thalami haec consors tui fidissima? Fratrem sorori, coniugem uxori suae Succurrere et conviorum dedecus Omnemque labem iniuriae defendere Fas est piumque. deiici de gloria	315
		320
		325
		330
		335

	Nostra haud sinas, Divum genus male ne audiat Inter homines Divorum honori sic satis Male invidos, vestraque culpa nominis Iactura nostri recidat in vestrum caput.	340
Ne.	Nae, per tridentem, quem fero, iuro meum: Dabo hoc petenti tibi sorori et coniugi. En, vindicem dextram. dabit nobis, dabit Poenas atrocitate dignas criminis.	345
Iu.	Sed vindicari id quo modo vultis scelus? Nil quod doloris maximi capiat modum. Nodo malo durus cuneus adhibendus est. Tentanda poena est omnis, una haud est satis.	
Am.	Cum crimen excedit modum, nullus modus Poenae est; mediocris ultio irritat malos Illos, sua qui gloriantur malitia. Cum crimen ergo quodque eo sit tetrius, Quo maior is, qui laesus est, quod numine Laeso potest atrocius dici malum?	350
	Et quae una poena isti expiando crimini Sit par? stet una in lance, quod divinitas Violata sit superum inferumque; inde altera Pendatur in lance omne poenarum genus. Vix omne poenarum genus lancem mali	355
	Depressam humo levabit atque examine Ad aequilibrium reducto congruum Immanitati sceleris inveniet modum. Haec vasta quicquid horridum tellus creat,	
	Quicquid fretum, Styx quicquid aut aér tulit Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum, Ad persequendam profer isthanc foeminam.	360
Ne.	Non ergo nobis ad necandum sufficit Ferrum?	
Iu.	<i>quid? hoc parum est.</i>	
Ne.	<i>an ignis?</i>	
Iu.	<i>et hic parum est.</i>	
Ne.	Vin' igitur, ut pectus vibrando missili Transverberem? emotove suffocem mari?	370
Iu.	Maiora finge. haud una poenae sufficit Mulier, sed universus Aethyopis plagae Populus luet poenas.	
Am.	<i>vel ob noxam unius</i> Ab omnibus poenam DEVS saepe exigit Deletque totam funditus provinciam.	375
Ne.	Horribilior poena incidit.	
Iu.	<i>quaenam? cedo.</i>	

- Ne. Iuno soror, ferae, truculentissimum,  
 Informe monstrum adeoque terribilissimum,  
 Linguis hiatu duplice exertans duas,  
 Quod fulmina eiaculetur exurentia  
 Et fluminum undam gutture extenso evomat,  
 Et tale, quale ab orbis usque exordio  
 Nec visum ab ullo homine nec auditum fuit,  
 Altissimi pelagi e cavernis abditis  
 Ciebo, quod de littore adscendet citum,  
 Vasto impetu invadet plagam illam Cephei,  
 Domosque agrosque et templos et arces, montium  
 Verticibus impositas, et urbes denique  
 Populabitur; fluvios quoque profundissimos,  
 Qui pinguis Aegypti uberes sulcos rigant,  
 Siccabit usque ad infimi fundi solum.  
 380
- Am. Hem, belluam undiquaque formidabilem!  
 Iu. Certe meras loqui mihi videtur rosas  
 Et dulce nectar et merae ambrosiae favos.  
 385
- Ne. Quin etiam opacos fraxinis et quercubus  
 Lucos solo aequans eruet radicitus;  
 Boum labores, laeta conculcans sata,  
 Perdet; repente ut denegat fructus Ceres  
 Adulta, adustis farra aristis deflagrent.  
 390
- Quin pestilent aura inquinabit pascua,  
 Armenta passim ovesque morbis ut cadant.  
 Vbi prata, agros sylvasque devastaverit,  
 Tandem fera imminebit ipsi regiae,  
 Demolietur civium structas domos  
 405
- Et templos Divum urbisque propugnacula  
 Fragore teribili, ruinis aedium  
 Multa interibunt incolarum millia.
- Iu. Quid si manu armata resistant belluae?  
 Ne. Frustra times: nulli Cyclopes cudere  
 Arma potuerunt Aetnae in caminis, belluam  
 Quae vulnerent Neptuniam.  
 410
- Iu. quid? Caucaso  
 Marpesiave caute monstrum exurget hoc?  
 Aut Chalybis e venis coibit?
- Ne. sic puta:  
 Mortalium contra tueri quis queat?  
 Igni micabunt lumina, alvus frigido  
 Viro tumebit atque tabo noxio;  
 Foetore solo vertet hostes in fugam.  
 Quin salva persistet sine ullo vulnere  
 Squamisque loricae modo coëuntibus  
 Atrae rigore pellis inviolabili  
 420

	Validissimos repellet ictus hostium. Immanitate corporis vastissimi Vincet aditum ad Stygis excubandum Cerberum. Hoc aggredi monstrum hominis haud erit ulli Aut hominis ultra omnem modum temerarii. Quin maxime, si quis velit forti manu Tentare discriminem, tamen laterem lavet. An non, Deae, haec vobis placent? an displicant?	425
Iu.	Sic, sic volo, sic expedit, sic condecet Domare foeminae arrogantis spiritus.	430
Am.	Sic, sic Dearum vindicanda iniuria, Solvenda sunt haec insolenti praemia.	
Ne.	Quid, nata Saturno, annuis tandem? an secus?	
Iu.	Annuo equidem atque plurimum mihi gratulor Mirorque, tam bene quod meae sententiae Faveas.	435
Ne.	iubet natura, lex in cordium Inscripta tabulis, ut sororum commodis Frater faveat illisque bene semper velit Et rebus in cunctis ferat opem, cum usus est.	440
Iu.	Loqueris pie, germane dilectissime: Vbi rara fratrum gratia, ubi discordia, Vbi odia gliscunt, ibi ruina in proximo est, Tandemque sequitur triste rerum excidium. Sed cupid ad ipsum mens redire negotium: Certon' ciebis belluam?	445
Ne.	certissime. Quid dubia quaeris, Iuno? mene existimas Ex ore eodem flare calidum et frigidum?	
Iu.	Procul absit, ut quid tale de te suspicer. Sed, quaeso, frater, dic mihi, quo tempore Prodibit id monstrum?	450
Ne.	prius prodibit id, Quam sera nox crepusculum praemiserit.	
Iu.	Voti mei reddar utinam compos brevi! Longa est mora omnis; tota namque excandeo, Excludit animi omnes moras commotio.	455
Ne.	Inutilis praepostera est prudentia, et Multis malorum causa praecipitantia est. Qui plus satis festinat ipso in limine, Deducit is rem ad umbilicum serius.	

## Scena quarta

Andromede, Nutrix, Gynaeceum, Industria

- An. Eheu! paventi quam mihi cor palpitat! 460  
 Mentemque graviter moeror angit turbidam!  
 Praesagit - heu! -, praesagit, haud scio, quid mali.
- Nu. Alumna cara, quaeso, quidnam esse hoc putem, 465  
 Moesto quod ore et lacrymis manantibus  
 Incedis? et oculis meis te subtrahis?  
 Modo fronte laeta hilarique te conspeximus,  
 Nunc moestitia turbata pungit pectora.
- An. Miraris hoc, nutrix mea? omnia fluxa sunt, 470  
 Momento in unico accedit mutatio.  
 Quam saepe post Phoebi micantis splendidos  
 Radios sequuntur horribilia tonitrua.
- Nu. Potestne flendum quippiam contingere 475  
 Celebri elocatae virginis connubio?  
 Desine dolorum atque mihi causas fletuum  
 Fare.
- An. tibi nil celare queo, vel si velim. 475  
 Nocturna, nutrix, visa miseram territant,  
 Et dira turbant inquietam insomnia.
- Nu. Ha ha he! tuine causa subtristis animi 480  
 Est somnium? non causa, sed fallacia.  
 Si somnium curas, tibi curas dabit.
- An. Tam firmiter cordi insedit medullitus,  
 Vt illius minime queam obliviscier.
- Nu. Age, si lubet, narrato nobis somnium.
- An. Postquam sopore nocte grato proxima 485  
 Labore telae fessa pressi lumina,  
 Et umbra noctis iam polo decesserat  
 Frigida, repente visus ... heu! nutrix mea,  
 Ah! concido; me sustine, nutrix mea.
- Nu. Alumna, quid mentis times ludibria?
- Sopor timores saepe vanos obiicit 490  
 Homini. recense reliqua, velut occooperas.
- An. Parens meus, nutrix, parens - heu, heu! - meus  
 A bellua mihi petitus visus est,  
 Vomente Vulcanum atque Nerea gutture.  
 Nunc quidve portendant mali vel denotent  
 Haec visa, nutrix cara, ego animi pendeo,  
 Tota occidi; pavore cor est mortuum.

- Nu. Quid vagus in artus errat excusso pavor?  
Omitte nugas has metumque omnem exue;  
Vento levi tua dissipentur somnia. 500
- An. Ita Dii velint. hoc unicum superos precor,  
Mei parentes, in quibus mea stat salus  
Innixa, vivant salvi ut omni tempore.
- Nu. Recte pieque loqueris, illustrissima  
Virago. perge, perge, ceu factum hactenus:  
Sic visa laetum sortientur exitum. 505
- Persaepe, quod nosti, soleo adhortarier,  
Vt numen et nomen Deum ter maximum  
Vbique supplex invoces. namque a Diis  
Rerum omnium capienda sunt primordia,  
Sic redditur felix initium et prosperum  
Finisque felicissimus. 510
- An. dictum bene:  
Numen colenti numen omnia dirigit,  
Pietate vera nulla vis est fortior.
- Nu. Deinde et parentibus tuis morigera sis 515  
Et neutiquam irrites ad iracundiam,  
Obmurmurando vel refragando improbe,  
Ceu nunc solet iuventa refractaria.  
Colens parentes laeta speres omnia.
- An. Id quidem operam do sedulo, nutrix mea,  
Querela ne de me moveri possiet.  
Quicunque enim suos parentes hic colit,  
Pergratus is Diis vivus est et mortuus:  
Sunt Dii parentes maximi mortalibus. 520
- Nu. Te industriam gnavamque semper praebes,  
Telaeque pensoque adsidendo iugiter. 525  
Hos nam labores esse credas virginum.  
Contra angue peius oderis consortia  
Sanctos pudoris transeuntia terminos.  
Colloquia mores prava corrumpunt bonos,  
Vnaque pereunt ius, decus, pietas, fides 530  
Et, qui redire nescit, ut periit, pudor.  
Multas quidem tam fronte perfricta invenis,  
Vt non Diis Paeana, non hymnos sacros,  
Sed tota Fescennina, sed contra decus
- Motus Ionicos, amores et vagos  
De mollibus - dolor! - meditentur unguibus.  
Quae tres probantur in puellis maxime,  
Pietas, obedientia atque industria,  
Hae rariores sunt, olor quam sit niger. 535
- An. Teneo probe audioque tales plurimas. 540

- Nu. At tu, puella, carior vita mihi,  
Cum talibus nihil habeas commercii.  
Vt sancta castaque maneas, virgo optima,  
Castis bonisque te decet convivere. 545
- An. Verissimum arbitror esse, quod dixti modo.
- Nu. Exosa tibi ventosa sit superbia;  
Deus modestos diligit et humiles fovet,  
Tumidos sed utres vindice ira disiicit.  
Fucare faciem crede magnum opprobrium,  
Sapone nec purgaveris virgo genas.  
Decet probam mundus modestus foeminam;  
Vltra quod est, id immodestum et improbum est.  
Tandem quia imminent tui gaudia thori,  
Tuo marito ante omnia fies obsequens; 550  
Sive ingruat procella sortis turbidae,  
Sive aura flet serenitate commoda,  
Ei fidelitate semper adhaereas  
Tuoque veram coniugi dotem adferas.  
At illa quae? num dives auri copia,  
Quod cuncta gens mortalium hoc tempore inhiat?  
Nego. quae Deum metum, pudorem concium,  
Domestico labore consuetam manum  
Praemiaque castitatis ingenuae bona  
Suo marito nupta collocata fert, 555  
Dotes habet quaecunque superantes bona.  
An. Haec monita erunt inscripta semper pectori,  
Donec aliquis erit sensus hoc in corpore.  
Sed quando, nutrix mea, videbis stamina  
Nostra?
- Nu. hem, mones probe; propemodum oblita eram.  
Monstrate pensa vestra, natae singulae.  
Tu, nata, rudis innexa vellera lanitii  
Glomerasti in orbes, ut decet, pulcherrime.  
Tu digitulis coepta opera subigis mollibus  
Longoque vellera nebulas aequantia  
Tractu pererrars arte subtilissima. 570
- Gy. Mater, meum quoque muricis glomus vide.  
Nu. Glomus profecto complicatum gnaviter,  
Quod Tyria, quod cortina Coa tingere  
Debet. quid, Andromeda, tua manus texuit? 575
- An. En, angulus supremus insculptum chaos  
Ostendit, ut pondus rude hoc prudens DEVS  
Dirimit. in altero, viden, ibi quid angulo?  
Est Pallas, inventrix parensque velleris,  
Quae pensa fusis conglobat volventibus.  
In lintei medio, ecce, Ioppes moenia. 580

	At staminis postrema pars, limbo simul Circumdata tenui, proceram lauream Floremque hederis nexilibus intertextum habet.	
Nu.	Sunt, virgines, bene cuncta facta atque lepide. Vestros labores gnavitatemque vigilem Nostra coram Domina puellisque reliquis Dignissimis depraedicabo encomiis.	590
Ind.	En, et ego Iove comitata et alma Pallade Ad vos, puellae, virginalem adfero chorum, Laboribus intentum, perosum ignaviam Operaque vestra praedicantem laudibus. Sic perge, tota virginalis concio, Neque tua vel tepeant vel unquam frigeant Incepta, sed studio indefesso ferveant.	595
	At, Andromeda, puella proba, sedula, pia, Saturni ex iussu Minervaeque placito Industria tibi serta fert, industriae Tuae notam piique studii symbolum. Nunc, virginalis inclytum chori decus,	600
	Sacrum simul Poeana iam modulabimur Iovi parenti et Palladi Tritoniae. Andromeda, nobis voce praecinas tua.	605

## Chorus canens

An.	<i>Quem Deum feremus hymno?</i>	
Ind.	<i>Diovem feremus hymno.</i>	610
Gy.	<i>Celebrabimus, cantabimus</i> <i>Voce sonora,</i> <i>Voce canora.</i>	
	<i>O coeli decus! o pater!</i> <i>Pollens terrigenum sator,</i>	615
	<i>Salve rite vocantibus</i> <i>Iuppiter alme.</i>	
An.	<i>Quam Deam feremus hymno?</i>	
Ind.	<i>Palladem feremus hymno.</i>	
Gy.	<i>Celebrabimus, cantabimus</i> <i>Voce sonora,</i> <i>Voce canora.</i>	620
	<i>O coeli nitor! o Dea!</i> <i>Artis lanifcae parens,</i>	
	<i>Nobis hoc opus auspice</i> <i>Te bene surgat.</i>	625

- Nu. Recte, puellae, numina hymno coelica  
Placavimus celebravimusque laudibus.  
Iove nunc vocato rite, fausto sidere  
Comiteque fortuna cadent certo omnia. 630  
Vota aequa nunquam respuunt aures DEI.
- An. Hoc faxit almus Imperator omnium  
Rerum. sed, o nutrix, meum quid somnium?
- Nu. Quid somnium curem tuum, dixi antea.  
Tui mariti Phinei si memineris, 635  
Dulcissimique imago tibi subeat thori,  
Mox lubrici vanescet imago somnii.  
Generosus animus, quique se nullo videt  
Scelere impiatum, semper est expers metus.

## Actus secundus

### Scena prima

Cassiope, Gynaeceum

Cas.	Cedite via, quacunque cedendi via, Cedite, vel omnes graviter hic caedemini. Quid tu mihi obstas? apage mendicabulum; Corripite, famuli, hunc intro, mox constringite, Raptate, ubi hominum nulla sunt vestigia: Iam fune fiet sparteo suspensilis.	640
	Non infima de fece quadrantaria Foemina nec humili gente prodeo filia, Quo genere abundat tota rerum machina Passim, sed altis inclytum titulis genus, Avis, proavis, abavis et atavis Regibus	645
	Edita, referto splendidaque factis stemmata; Coelestium prognata sum de sanguine Iovemque nostri generis autorem traho. Ego Cassiope Iovis tremendi gratia	650
	Regina sum, Regina sum invictissima, Gazis abundans auri et argenti optimi Gestisque clare rebus nobilissima Dioque vultus lumine illustrissima.	655
	Quae turba proxima mediae zonae poli Sentiscit urentem vehementer Carcinum, Flexo colit me poplite et fert munera. Arces mihi et castella Deltae totius,	660
	Mihi ostii lati sinus Canopici, Mihi versus Arabiae Libyaisque limites Pelusiaca patent ubivis ostia.	665
	Ego, Dominatrix profluentis Nigridos, Ego sum gubernatrix Nili septemflui. Hic amne pleno turgidus, mirabile, Statione semper annua laeta novat	
	Fruge arva, campos floribus bene olentibus Nemorumque ramosis recessus frondibus; Hic contumacis rore leni macerat	670
	Terraes solum sulcosque lymphis ebrios Viridante amictu messis inumbrat flavidae, Vt tugurii pauper colonus gestiat.	
	Quis me beatior? quis est felicior? At cumulus huc accedit sortis prosperae,	675

- Quod coniugi mihique nixu filiam,  
Licet unicam, ediderim, tamen pulcherrimam  
Adeoque vultu liberalem, ut nil supra. 680  
Auctam videbo hanc liberis brevi et viro  
Claro beatam, quam senectutis meae  
Polliceor esse columen ac solatium.  
Quis me beatior? quis est felicior?  
Ecquid bonorum, quid beatitudinis 685  
Mihi restat amplius, quod in meum caput  
Bonitas Tonantis larga non effuderit?  
Non me malorum maximum penuria  
Premit: inhonorus pauper et contemptus est,  
Sit clarus antiquo licet de stemmate. 690  
Verum repostis scrinia turgescunt mihi  
Gazis, metalla gravia magno pondere,  
Aurum caminis fulgurans et malleis  
Massa e sequaci late ductae bracteae,  
In regia mea resident regia. 695  
Trabes Hymettiae columnas affatim  
Premunt, recisas ultimae oris Africæ.  
Millia coruscant plaustra onusta murrhinis  
Crystallinisque grandibus.  
Vestes coruscis plurimae gemmis micant, 700  
Vestes Tyriae Laconicaeque purpurae.  
Stipantur horrea plena laetis frugibus.  
Non compita resonant furore classico;  
Secura pacis molliter tutae otia,  
Quassante nullo turbine rerum, transigo. 705  
Viresco semper viridis instar laureae,  
Amaena propter flumina ripæ consitae.  
Quid praedicem beata formæ munera?  
En, est mihi pubertatis annos filia  
Egressa, tempestiva iam connubio; 710  
Nihilo tamen minus venusta conspicor  
Succoque plena, porrecio quae flammeum  
De me iubar serenitatis coelicae,  
Instar micantis usque vesperuginis.  
Quid inde colligo? Deitatis est nota, 715  
Verissimum immortalitatis symbolum.  
Adesto, adesto, famula: speculum porrige.  
Quin te moves, testudo? nam gradus tuus  
Cribro videtur pollinario mihi  
Succretus, adeo tardus et subtilis est.  
Hoc munus est industriae pedissequae,  
Ne sentiant mandata Dominae ullam moram;  
Si quid velit frons, id subito oculi sciant. 720

- A vertice summo ad infimam calcem pedis  
Circumspice, satin' me deceant haec amicula? 725
- Gy. I. Virtute formae sit tuae, ut te ornet bene,  
Quacunque tandem veste te vestiveris.
- Cas. Dic, quomodo nostrae tibi placent hae laminae  
Auroque reticulum renidens hoc novum?  
Inestne decor isti rubro cymatili?  
Patagiatae huic? rallae? et huic crocotulae? 730
- Acuque longo picto tractu syrmati?
- Gy. I. Color, nitor, vestis, habitudo corporis  
Te maximam telluris arguunt Deam.
- Cas. Sic ambulare oportet omnes foeminas,  
Vt ora vertat huc et huc euntium  
Turba, et suis glaucomata obtrudant viris.  
Potius domi Hecates praeparent convivia  
Et mucidum atro ex iure panem devorent;  
Modo vestium splendore diffluentium 740
- Pompas agant, emetientes compita,  
Vt dum foris sint, nil videatur mundius.  
Quin oxyus mihi praeferas umbellulam,  
Ne Phoebus igne me perurat livido,  
Et mea colorem forma ducat Beticum  
Mutata. sed tu tenue flabellum cape 745
- Et frigidum statim mihi facito ventulum.  
Speculum mihi tu consulendum porrige.  
Sed agite Nymphae, dicite mihi libere,  
Quae vestra mens de pulchritudine est mea?  
An pulchrior me vivat ulla foemina?  
Vel quae mihi fors compararier queat?
- Gy. II. Flammata certant syderibus tua lumina,  
Colore purpureo labia vincunt rosas,  
Flavisque collatum capillis temporum  
Pallescit aurum. colla olores candidos 755
- Longe antevertunt.
- Gy. III. candido humero sic nitens,  
Vt pura nocturno renidet aequore  
Luna.
- Gy. IV. ut poli praelucet astris Phosphorus,  
Ornans Olympum eundo, terris lampada  
Mittens et inter astra regnans lumine,  
Sic tu decore muliebri emines choro. 760
- Cas. Quid ergo me veremini dicere Deam?  
Quid mussitatis? hem, Deae propago sum,  
Nil odia euro Iunonis Saturniae,  
Quippe mera de pelvi vibrata tonitrua.  
Vah, misera Iuno mulier: alga vilior! 765

Ardet tuus formosa coniux corcula  
 Medullitus, tu fers repulsam ab omnibus  
 Locumque coelo pulsa concedis lupis. 770  
 Numquid odio puellam habes Agenorin  
 Inachida? num forma sub ursae Parrhasin?  
 Nae, mentis oculis limpide si cerneret,  
 Quam pluribus fies malis obnoxia.  
 Tantopere quem nunc laude prosequeris statum,  
 Rerum tuarum dices miserrimum,  
 Rerum mearum dices prosperrimum. 775  
 Quid enim? tuamne sortem titivilitio  
 Ego empsitem? cassa vel unica nuce?  
 Quin, age, periculum faciamus: provoco,  
 Provoco; veni ad certamen, experire, quid 780  
 Tua forma possit nostri ad vultus gratiam.  
 Tu quoque, Dea maris, prodi, Oceani filia;  
 Vbi latitas? post quae caretta te tenes?  
 An ad infimam radicem Atlantis Maurici?  
 Vt ego tibi delphina mittam nuncium? 785  
 Vos quoque propago Nerei atque Doridos,  
 Quae colitis antra rivulis scatentia,  
 Prodite vultumque mihi spectandum date;  
 Prodi Thoë, prodi Thalia Maeraque,  
 Spio, Pherusca cumque Cymodoce Halie. 790  
 Actutum adeste, quotquot hinc illinc vagi  
 Imos inhabitatis recessus aequoris;  
 Prodite, prodite! quoties ad nauseam,  
 Ad usque ravim cogor vociferari?  
 Videamus, utra nostrum erit formosior? 795  
 Videamus, utra nostrum erit felicior?  
 Sed nemo prodit, nemo. prodibunt, scio,  
 Quando ovibus ora blanda praebebunt lupi,  
 Vel mula pariet. ergo, quod iam saepius  
 Et ante menses protuli quam plurimos, 800  
 Ego Cassiope formae meae praestantia  
 Vinco, supero falso diu pulcherrimas  
 Habitac, Deam freti, Deam Saturniam,  
 Omnes etiam elegantias Nereidum,  
 In aequoribus hinc inde perreptantium. 805  
 Vinco, supero genus mulierum et virginum,  
 Quotcunque natae de viris mortalibus.  
 Iam fractus illabatur aetheris cyclus,  
 Mundum tumultus quatiat, terra sedibus  
 Convulsa magnorum ruinis montium 810  
 Arctet frementes murmurantis maris aquas,  
 Spumamque limumque vaga tundant littora

Scopulosque terrificis flagellent fluctibus:  
 Non mihi labascit animus, omnis abest timor. 815  
 Quid in animum inducat homo metuere, cui potens  
 Fortuna mancipio dedit se propriam?  
 Curo nihil superna, sed terrestria.  
 Tantum ego habeo terrestrium, ut coeli nihil  
 De parte sim sollicita, nil curem DEOS; 820  
 Curent eosdem, cura quos vexat sua.  
 Ego speculum, pedissequa, volo: porridge;  
 Sic nam mei vultus titillat me decor,  
 Tuendo ut animum explere non satis queam.  
 O tortilis capille! vultus roscide! 825  
 O colla mollicella! frons loquacula!  
 O turgidula labella! lacteolae genae!  
 O purpureum os! o brachiola coelestia!  
 Manus nitentes et lacerti candidi!  
 Sed quid opus est nervos meae potentiae 830  
 Diique vultus gratiosam gratiam  
 Mortalibus coram amplius apricarier,  
 Dudum omnibus mortalibus notissimam?  
 Tecta potius subeunda nobis regia,  
 Vbi nova concipiems animo gaudia 835  
 Laurique nostrum fronde cingemus caput  
 Ob pulchritudinis meae victoriam.

## Scena secunda

### Nemesis, Incolae Ioppes II

Nem. At! o scelestia Furia, Cassiope, soli,  
 Siccine Dearum numina immortalium  
 Ad te pithecium atque spinturnicum,  
 Ad putidam te rancidamque foeminam 840  
 Huc e polo marisque gurgite prodeant?  
 Proh alme Iuppiter! verenda poli Dea!  
 Haec quae tumida iactatio est? quae audacia?  
 Vt bestiae huius virulentum sanguinem  
 Haurire gladius gestit! et vix se tenet. 845  
 Cives Ioppenses, an isthaec omnia,  
 Regina vestra quae evomuerit turpiter  
 In coelitum beata vere numina,  
 Audistis?

In. I.	<i>o veneranda virgo, audivimus, Audivimus nefanda propalarier.</i>	850
In. II.	<i>Quidnam rei, quaeso, supreme Iuppiter, Hanc fastuosam peperit insolentiam?</i>	
Nem.	<i>Mi civis, anne te latet? res prospera, Res prospera hominibus parit ferociam, Quam mente ferre aequa sciunt paucissimi.</i>	855
In. I.	<i>Heu mihi! quid hic divina mandant numina? Minus insolesce, quo magis res prosperae; Poena insolentiae suae nemo effugit.</i>	
Nem.	<i>Fateor, abundat vestra Cassiope bonis: Longe atque late regna magna possidet, Est pulchritudinis venusta dotibus. An vero ob haec crepare tam grandia decet Verba? et Deas nil esse praeter fabulas Putare? foeminasque pae se spernere? Quale fugitivae gratia est formae bonum? Bonum fragile, caduca res et futilis. Vt exiguo formosa cudent tempore Lilia, cito rosas spina perdit, gramina Viridesque tandem bruma decutit comas, Sic et decoris singuli carpunt dies Florem; vigensque pulchritudinis nitor Blattis peresae more vestis defluit. Spectabilis primum quidem, dum florida Perdurat aetas, dumque scituli cutis</i>	865
	<i>Fulgescit oris. tempus at mox imminet, Rugis quod undique faciem crispantibus Arabit et quo mista frons albedine Longe migrabit, roscidas turpans genas. Quid, quaeso, divitiae? quid auri pondera? Annon coacta, et plena terra sulphure? Quid sericum? quid? quid acubus picta amicula? Pol, tela vermium atque lana sordida. Quis ergo, Cassiope, marita Cephei, Ventosa tendit pectora tua spiritus?</i>	870
	<i>Cur insolente fastu, cur superbia Corda intumescunt, formae ob elegantiam? Verus mulierum cultus, ornatus decens Pudicitia est, modestia est, non vestis est. Regina mage virtute subditos suos Quam vel corona excellat atque purpura. Se vestiat pietatis almae serico, Sibi decus addat castitatis byssino Modestiae solertiaeque purpura.</i>	875
		880
		885
		890

In. II.	Virgo, Dearum nata contubernio Dubio procul, vere locuta es et pie: Vtinam, utinam essent cuncta Cassiopae animo Inscripta! nequaquam Deas laceſſeret Malesana. sed, amabo, mihi, quae ſis, explica.	895
Nem.	Dea vera sum, Dea magna, Noctis filia Et Oceani, quae maximi nutu Iovis Nimis insolentum corda fastu deprimo.	900
In. II.	Quidnam corona incisa cervis denotat?	
Nem.	Mortalibus late dominor in omnibus Pavidosque reddo, quos semel percussero.	905
In. I.	Sigilla cur victoriae gestas?	
Nem.	fero Semper triumphos ex superbis hominibus.	
In. II.	Cur ligna portas fraxini?	
Nem.	quia futilem Ob temeritatem pectoris bella excito. Alata sum celerique scelera vindico	
	Pede.	910
In. I.	Dea magna, parce, parce, quaesumus, Miseris Ioppes civitatis incolis. Parce, Dea, parce.	
Nem.	nunc flagrant Iunonia Odia, marini numinis potentia Potenter apparebit, atque dominium	915
	Meum in superbam et arrogantem foeminam, Hominum, Deorum et coelitum mastigiam, Inque universos incolas Aethyopiae Sic exseram, ne post laceſſat quempiam.	
	Tu, qui vides divina vindictae flagra, Perpende, contemplare nec ferocibus Vnquam laceſſe coelites dicteriis; Nec erigas cristas nimis, si plusculum Quam coeteri forma vel auro polleas.	920
	Mortalium res auget et minuit dies; Amant modestos, execrantur Dii malos.	925

### Scena tertia

Cepheus, Bulaeus, Nuncius, Opilio, Coloni III, Vxor Coloni I.

- Ce. Res nostra publica, superis Dii gratia,  
In pristinum rediit decus, leges vigent,  
Promerita iusti consequuntur praemia,  
Poena irrogatur iusta delinquentibus. 930  
Huius salute nostra consistit salus.
- Bul. Serene Rex, vere et pie pronuncias.  
Privata res florere civium nequit,  
Ni sospitate perfruatur publica,  
Vt, qui maris fluctus secantes navigant, 935  
Nisi nave sarta tecta, salvi esse nequeant.
- Ce. Haec ut magis magisque semper floreat,  
Cum fratre, cui meam locavi filiam  
Et unicum et carissimam, foedus novum  
Pepigi; sacra peragenda sunt connubia. 940
- Bul. E re tua Reique nostrae publicae  
Fore duco, ne iam protrahantur longius  
Taedae iugales, sed mora abiecta procul  
Omni dicetur sponsa sponso regia.
- Ce. Adolebimus sacros penates ignibus, 945  
Tectis parabimus epulas, pictos toros  
Arteque laboratas et ostro coccino  
Vestes superbas instruemus ilico.  
Sed ille quid praecipitat huc ad nos gradum?  
Ni fallor animo, laeta nobis nuncia 950  
Non fert. quid adfers huc anhelus nuncii?  
O Rex, celerrime huc cucurri.
- Ce. hoc non volo.  
Sed qualia feras nuncia nobis? hoc volo.
- Nun. Heu, heu! dolor! periimus! actum est! periimus!
- Ce. Quid est, quod anxie adeo te sollicitum habet? 955
- Nun. Fuimus, fuimus Aethyopicae cives plagae,  
Stetere quondam antiqua Ioppes moenia.
- Ce. Quid inepte garris? anne tu phreneticus  
Circumrotare spiritu vertiginis?  
Annon vides exstructa Ioppes moenia?
- Bul. An conspicilla flagitas? an postulas  
Tibi faces accendier meridie?
- Nun. Nihil agitis. nam vera sunt, quae nuncio:  
Periere cuncta, concidit regni status.

Bul.	Auguste Rex, Anticyras ablegandus est, Prius ut caput purgetur helleboro nigro.	965
Nun.	Etsi nihil grati adferam, dicam tamen.	
Ce.	Videre mihi quid alere monstri.	
Nun.	nuncio Terribile monstrum -heu! -, santicam - heu! - pestem soli Totius ex imo freti voragine	970
	Prodisse et in tuos ruisse subditos.	
Ce.	Audita primum an visa fers, edissere.	
Nun.	Visa fero, non rumore sparsa garrulo.	
Ce.	Quid est, quod istic rauca cornua personant?	
Op.	Heu, totus occidi! metu cor mortuum est. Iuva, iuva me perditum et pauperrimum.	975
Ce.	In quo negotio petis, tibi opem feram?	
Op.	Heu, heu! bidentes heu! iuvenculi atque oves, Candidulus aries! ductor opulent gregis, Caprae, oves plenaeque lactis buculae	980
	Exenteratae, exdorsuatae sunt mihi.	
Bul.	Vbi molossorum fuit custodia, Qui triste stabulis procul abercerent lupum?	
Op.	Nil hic molossi ferre poterant virium; Rabies enim lupi in pecus non saevit.	985
Bul.	Leaena forsana torva?	
Op.	minime gentium. Vincit leones asperasque tygrides Cum rhinocerotibusque saevas pardales, Corpus stupendae magnitudinis trahit; Bifidamque linguam exertat et quaerens, quibus	990
	Mortifera veniat, spumat et volvit minas; Tumidumque nodis corpus aggestis plicat Cogitque in orbes.	
Ce.	proh Deum omnium fidem!	
Op.	Haec in gregem insiliit meum, pessundedit Et dentibus discerpsit armenta omnia.	995
	At undenam proruperit, me nunc fugit.	
Nun.	Ego, o Domine Rex, nuncio vidisse me Hanc bestiam prorumpere ex medio sinu Tethyos. at autor quoque mali tanti latet.	
Ce.	O magne Neptune! o status miserabilis Regni mei! vicesque misere turbidae! Heu, nuptias qui iam parabam filiae,	1000
	Quaenam audio mala? sortis aura o mobilis! Vt perpetuo tenore laetum et prosperum Nil est relictum usque miseris mortalibus.	
Co. I.	Vae, vae mihi!	1005
Co. II.	au! pereo.	

Co. III.	perimus,	
Vx.	periimus.	
Co. I.	periimus.	
Co. II.	interiimus.	
Co. III.	au! au!	
Vx.	vae mihi.	
Co. I.	Ah, me ter et quater miserrimum omnium!	
Ce.	Proh sancte coeli Iuppiter! undique gemitus Oritur, ululatus foemineus et lacrymae.	1010
Bul.	Nonne pudeat vos caudices, vos stipites, Vos brassicata capita vestris tam diu Clamoribus Regem benevolum obtundere?	
Co. II.	Ah, mi Domine clemens, precor te, ne mihi Succenseas misero. tibi non cognitum, Qua parte nos homunciones calceus Vrat.	1015
Ce.	quid igitur torqueat vos, dicite.	
Co. III <i>et</i> Vx. <i>coniunctim</i>	Flentes, gementes, conquerentes adsumus.	
Ce.	Quid hoc? loquatur unus.	
Co. I.	invictissime Rex, praeses Orci pallidi, trux manium Dis Cerberum, ceu nostra fert opinio, Ex intimis Acherontis atri sedibus Ob, nescio pol, cuius hominis crimina Immisit arvis atque nostris aedibus. Hic - o dolor! - laetos aristis funditus Devastat agros, nemora, sata.	1020
Co. II.	ture quoque Grandi fragore disiicit.	
Co. III.	magna quoque Violentia evertit domos.	
Co. I.	arces quoque In praecipiti stantes adaequantur solo.	
Co. II.	Aedis ruentis hinc et illinc it fragor, Quales sub alta murmurant sylva ilices, Caesae bipenni cum ruunt de montibus.	1030
Co. I.	Passim per agros truncata membra hominum iacent.	
Co. II.	Rivi cruoris perluunt vias, velut Torrens repentinis adactus imbribus.	1035
Ce.	O sacra coelestum Deorum numina! Quid audio? quem mihi Pythona dicitis Densis sagittis olim Apollinis obrutum?	
Co. I.	Quid nunc agam? qui consulam rebus meis? Hac reste torta elisa frangam guttura Faucesque mihi, ne cogar emori fame.	1040

- Vx. Quid hoc? marite mi, rogo te per Deos  
Regemque, ne despondeas animum tuum  
Nec nuncium mittas Iovis clementiae.
- Co. I. Heu! quomodo me nunc amplius cum liberis  
Domoque sustentare queo, cum sata iacent  
Evulsa stirpitus? flagellare volui  
Annona tempora atque multos aureos  
Ex segete congerere in meum marsupium.  
At - o dolor! - sepulta nunc spes omnis est. 1045
- Ce. Sis bono animo, subdite, nec hastas abiice:  
Sata perierunt, et tua iacent mortua  
Armenta cum balantium toto grege.  
Sed num Iovem putatis esse mortuum,  
Rerum creatorem omnium? vivit Deus, 1055  
Vivit miseriasque aspicit mortalium.  
Res affluenter rursus ipse suppetet.  
Ego publica hac in calamitate cum meis  
Larga benignum semper indulgentia  
Iovem vocabo, qui vocantes audiet 1060  
Certoque liberabit ex angustiis;  
Deliberationibus prius habitis,  
Omnem movebimus lapidem, quo perbrevi  
Monstrum hocce nostris profligetur terminis.  
Deinde calamitatis pendam incommoda. 1065
- Co. III. Votum tibi summus secundet Iuppiter.
- Ce. Deo volente pharmacum isti vulneri  
Feremus.
- Bul. at properato opus, properato opus,  
Periculum in mora est.
- Ce. dari nullus potest 1070  
Vel tarditati vel socordiae locus,  
Iam cuncta nostra deferemus coniugi.  
Vos, subditi, illos capite nummos aureos  
Vestrae calamitatis aliquod solatium.
- Co. III. Benevole Rex, te fata nobis sospitem  
Natamque coniugemque conservent diu; 1075  
Nos maximas habemus omnes gratias.

## Scena quarta

Coloni III, Vxor Coloni I.

- Co. I. Pol, imbre multo largior Rex noster est,  
Clemens, misericors subditisque bene favens,  
Qui regium in nos contulit donarium.
- Co. II. Cedo huc pecuniam, ut probem cultro meo. 1080  
Vt tinnit! haud adulterina est, sed bona.
- Co. I. Cedo mihi rursus.
- Co. III. num tibi soli data?
- Co. I. Soline tibi? tabernam ecquid vinariam  
Nostri? ibi animi eluemus aegritudinem.
- Vx. Taberna quid vinaria? an nescis, malum, 1085  
Res nostra iam versetur in quo cardine?
- Co. I. Silentium! perversa stimulorum seges,  
Vel hoc bacillo - cernin'? - os tibi sublinam.
- Vx. Quid? falsa num locuta sum? merobibe, 1090  
Periere cuncta, fundus, arva cum satis,  
Boves, oves, gallina, porcelli, anseres;  
Tam dives es, ut vix nates possis tuas  
Totas tegere. tamen mero nihilo minus  
Semper inhias.
- Co. I. mulier suavis, cave tibi:  
Si gry mihi protuleris unicum amplius, 1095  
Te iussero domum.
- Vx. temeti cantharo  
Vno vel uno et altero beate vos,  
Deinde reliqui aeris facite sortes arbitras.
- Co. II. Hoc et mihi placet.
- Co. III. mihi non displicet.
- Co. I. Nae, mulier es mirabilis, semper mihi 1100  
Oggannis et re calcitras; ego candida,  
Tu nigra poscis, ego ambulare, tu cupis  
Sedere, semper flumina adversum natas.  
Sed en, tibi aes; ego hic sedebo in cespite.  
Sedete, vicini; siti multum premor.
- Co. II. Et mens mea est animusque totus in scyphis.
- Co. I. Quid tu, Poloene, sic taces? an non sitis 1105  
Etiam?
- Co. III. rogas? utinam sit hic, qui cantharum  
Mihi offerat! male peream, nisi unico  
Haustu ebibam, licet peramplum, protinus.
- Co. I. Sed en, reddit; move, move te ocyssime. 1110

- Vx. Si vultur es, cadaver exspecta.  
 Co. I. cedo,  
 Propino vitrum.  
 Co. II. bene tibi Bacchus pater  
 Dicat.  
 Co. I. profecto nectar hoc villum sapit.  
 Non iam mihi placet laqueus, hoc placet unice.  
 Infunde; tu responde. 1115
- Co. II. faxo strenue.  
 Hoc ego salute impertior te cantharo.  
 Co. III. Sit tibi saluti. praebibo tibi, soror,  
 Hanc, quam vides, plenam mero lagenulam.
- Vx. Non illa me terret; mulier ingentibus  
 Assueta trullis nil moratur talia.  
 At, o DEVS, monstrum! vetant plura lacrymae.  
 Co. II. Quid? tolle maschalam, tolle menteque sis bona;  
 Quae facta sunt, infecta reddi non queunt.  
 Est quippe nobis aere Rex ditissimus,  
 Illata compensabit hic dispendia  
 Saevamque mulcibere necabit belluam.  
 Potate strenue, salvus adhuc cantharus.  
 Audite. 1125
- Co. III. reliquam nunc simul pecuniam  
 Partimini.
- Co. I. haec est tota mea substantiae. 1130  
 Co. III. Haeccine? per occam meam, ut oles mendacium.  
 Co. I. Nec minus et ego iurabo tibi liquidissime,  
 Per rastra, per flagella mea et axungiam,  
 Per helcium mei caballi lutei,  
 Ne nummulum me tibi peculatum unicum.
- Co. III. Credo, bone vir, non unicum, sed plurimos;  
 Cedo loculos. 1135
- Co. I. tibi?  
 Co. III. mihi inquam, non tibi.  
 Co. I. Missum nisi tu me, sycophanta, feceris,  
 Hercule, impingam tibi Cyclopicam.
- Co. III. Edico tibi, nisi restitueris illico,  
 Et os caputque fustibus dolabitur  
 Tibi, scelus. 1140
- Co. I. hem tibi, quomodo sapit hoc pyrum?  
 Co. III. Tu vapula quoque verberalissime.  
 Co. I. Au! parce modo barbae meae.  
 Co. III. hem tibi, furcifer.
- Co. I. Coxendicem franges mihi, tu carnifex.  
 <Co. III> Quaeso, populares subvenite ocyssime. 1145  
 Co. I. Ah, parcite misero!

Vx.	viros aera, heu, cient.	
	Nos perditos! monstrum venit, monstrum venit.	
Co. I.	Vah! ubi meus pileolus est? ubi tunica? En, in palaestra adhuc iacet; mox adferam.	1150

## Scena quinta

Cassiope, Cepheus, Nuncius

Cas.	An vera sunt, Rex, intus ut iam dixeras?	
Ce.	Ah, vera nimium.	
Cas.	tune certam, Rex, fidem His simplicibus habes colonis? facta sunt.	
Ce.	Vtinam coloni falsa nobis dixerint! Nullam mihi mendacii poenam darent.	1155
Cas.	At ipsa discipulos cruci omnes dederem, Lingua prius ferro rescissa garrula, Ne falsa prius futire possent subdoli. Non credo, sed falsa esse credo somnia.	
Ce.	Vbi loquuntur testimonia rerum, ibi Non opus est verbis.	1160
Cas.	quis unquam belluam Audivit urbes destruere? sylvas? domos?	
Ce.	Plus valet oculatus testis unus quam Auriti, et ipsi cuncta subiacent Deo. Nutu illius tota intremit tellus, cava Montes soluti proruunt compagine; Furvo ille nebulas ob scelera mortalium Involvit, ille nigra mittit spicula, Flammae vibratae laxat ora fontibus Abyssi et inferni cavum reserat chaos,	1165
	Vt hominibus monstra nocitura huc prodeant.	
Cas.	Deos putas tu curare mortalia, Quae nihil eos tangunt nec angunt? liberas Curis et anxietatibus vitas agunt.	1170
Ce.	O dira vocis horridae procacitas! Mirum profecto, ne draco mox te involet Iussu Deorum conteratque dentibus. Sed ille quid praecipitat huc ad nos gradum?	1175
Nun.	Magnifice Rex, Regina clementissima, Illa, ore duplice rapida iaculans flumina Et flammeas Aetnae instar evomens faces,	1180

- |      |   |      |
|------|---|------|
|      | Prorumpit - heu! -, prorumpit, inquam denuo,<br>Rectaque tendit ad haec Ioppes moenia.<br>Hanc ocyor Coro ips[i]us inscendam arborem,<br>Qua parte, prospectum, sit illa bellua.  |      |
| Ce.  | O triste dictu, auditu acerbum nuncium!<br>Pavet animus, artus horridus quassat tremor;<br>Firmum ubi pedem figam? viden', coniux mea,<br>Viden', quod ista haud falsa fuerint nuncia,<br>Quae protulere mihi coloni simplices. | 1185 |
| Cas. | Consors thori, iam cordis omnes palpitant<br>Fibrae, metu sanguis mihi gelidus coit.<br>Erectus horret crinis, attonitum salit<br>Cor, atque trepidis palpitat venis iecur.<br>Heu, quo ruam? quo non ruam?                     | 1190 |
| Ce.  | quid nuncie?<br>Videsne monstrum?   | 1195 |
| Nun. | quid querar? Rex maxime,<br>Video: approperat; en, astat ipsis moenibus.  |      |
| Ce.  | O universa plebs et urbis principes,<br>Abrumpite moras, ocyus adeste, ocyus<br>Adeste, properate et fores ite undique<br>Oppessulatum. nunc enim properato opus,<br>Et consulendum Ammonis est oraculum.                       | 1200 |

## Scena sexta

## Coloni III, Vxor Coloni I., Opilio

- Op. Exaruit cor penitus. irruet, si vir es.  
 Co. II. Quia palpitas emasculato pectore,  
     Inibo pugnam lurida cum bellua.  
     Magnifica dona Regis et fors filiam  
     Domumque patriam demerebor liberam  
     Omni a tributo publicisque a censibus,  
     Si bellua meo caesa peniculo cadet.  
     In Sylvani et Fauni in almi nomine  
     Adoriar. au! au! pereo! flammis devoror!  
     Suffocor undis!
- 1220
- Co. III.                         vae mihi misero! occidi.  
 Op. Ah, claustra revellite, cito limina pandite.
- 1225

Chorus canens civium Ioppensium

- Ah! flete, flete cives!*  
*Ah! plange, plange, Cepheu!*  
*Quam dira fata passim*  
*Nos clade turbant moesta:*  
*Luget solum, mugit pecus,*  
*Aret seges, domus ruunt,*  
*Vastante cuncta ceto.*
- 1230
- Ah! Ammon, alme vates,*  
*Huc aures verte clemens;*  
*Ne Regis atque nostra*  
*In cassum vota tendant,*  
*Novos tibi laudum modos*  
*Noster chorus tandem canet,*  
*Saevo peremto ceto.*
- 1235
- 1240

## Actus tertius

### Scena prima

Cepheus, Emathion, <Oraculum Iovis Ammonis>

- Ce. Nunc, qui gubernas astra, qui nubes quatiss,  
Supreme Rector orbis, apparent tua  
Delubra, Bacchi structa quondam numine.  
Hic nam perustas Sole gentes Indiae 1245  
Vt Marte domuit hancque glebis torridis  
Terram crematam atque cumulis sabuli obrutam,  
Rivis carentem et destitutam fontibus,  
Ingressus est, exercitus pernobilis  
Victoriis tanta siti correptus est, 1250  
Pereundum ut esset omnibus morte misera.  
Hoc anxius Bacchus malo, supplex Iovem  
Rogat, ut sibi veniret auxilio ilicit.  
Quid fit? aries astat coruscans cornibus  
Pedibusque percutiens solum, scrobem fodit; 1255  
Scrobs fossa limpida eiaculata est flumina,  
Quo milites torrente sedarunt sitim.  
Permotus ipse Bacchus hoc miraculo,  
Huius celebris exstruxit aedis fornices  
Hic, ubi sonoris consitum arboribus nemus, 1260  
Lymphisque fons ebullit admirabilis;  
Qui, cum quadrigis lucida aurora croceis  
Nitente roseas protulit lumine genas,  
Puras aquas eructat humore tepido.  
Phoebus ubi currum librat aethere medio, 1265  
Gelida est aqua, glaciei adinstar pendulae;  
Cum lassa Titan colla iam relevat iugo,  
Mox incalescit. at Bootis cum pigri  
Stant lenta plaustra flexa, plane exaestuat.  
Exinde sensim deficit primus calor, 1270  
Donec iterum Titanis orto lumine  
Tepore pristinam recuperarit vicem.  
Hic magna turba confluit mortalium,  
Saevis dolorum cum procellis obruta,  
Oransque liberatur ex angustiis. 1275  
In hunc et ego Iovem meam spem colloco,  
Sperans fore, ut precibus benignas praebat  
Aures et infortunii causam mei  
Modumque liberationis indicet;

	Qui Libero patri auxilia quondam tulit, Hic et mihi auxilia feret certissime. Sed ecce, commodum Sacerdos it foras, Ammonio qui sacra fert Iovi; alloquar. Salve, Sacerdos enthee, plurimum.	1280
Em.	Benevole Rex, nobis tuus gratissimus Adventus est. quantis premaris casibus Vndique, Deorum ex visionibus id satis Compertum habeo, tuaeque sollicitudines Moerore quoque mentem meam turbant gravi. Immane namque mole vasta corporis Monstrum tuas devastat urbes, subditos Facit fugaces enecando plurimos.	1285
Ce.	Omnem profecto rem tenes, ut audio. Nisi praevenimus huic malo tristissimo In tempore, actum quoque capite de nostro erit: Me, coniugem cum filia suavissima Miseris ad umbras flebiles mittet modis. Ergo huc venio fretus Iovis clementia, Oracula scitatum DEI Ammoni sacra, Quis belluam illam in regna nostra immiserit Et quo malum possimus expellere modo.	1295
Em.	Sapienter hoc factum atque bene, Rex inclyte, Dum cladibus tot undiquaque instantibus Obrutus ad haec te contulisti oracula. Qui namque telam orditur a Iove maximo, Huic omnia cadunt prospere; sed qui secus Fecerit, hic arbores clavi diffindet et Seras relaxabit securi, ut dicitur. Petita tibi responsa reddet Iuppiter.	1300
Ce.	Ne vero ad aram vacuus accedam, cape Dona haec, quibus sacro litabis numini.	1310
Em.	Munera DEOS hominesque placant praestita; His pro te ego faciam Iovi, tu supplice Precare voce, dum peracta sint sacra.	
Ce.	O magne Olympi Rector, o rerum parens: Pene obruerunt me malorum flumina, Moerendo lassa torpuerunt pectora; Ad te recurro, tu benignus aspice Rebusque in arctis da salutarem manum.	1315
Em.	O magne Olympi Rector, o rerum parens: Qui cuncta scis, qui cuncta praesens aspicis, O Iuppiter cornute, vates praescie, Ad cuius ego non dignus asto altaria Mystes, sacra faciens ferensque victimas, Ex intimis cordis precor penetralibus:	1320
		1325

- Ope destituto et omnibus fracto malis  
 Succurre; quae draconis huius causa sit,  
 Pronuncia, quibusve technis, quomodo  
 Quave ratione bellua haec possit abigi.
- Ce. O magne Olympi Rector, o rerum parens: 1330  
 Fac me mei repente voti compotem,  
 Sic te perenni tollam ad astra carmine.
- Em. Haec signa sunt favoris et clementiae.
- Or. Regina Cassiopaea, Regis Cephei  
 Vxor, Iovis Deique coniugem sali  
 Totumque pulchrarum chorum Nereidum  
 Conviciis affecit effera turpibus,  
 Formam suam extollens, Dearum deprimens.  
 Ideo Saturniae precibus adductus est  
 Parens aquarum, ut hanc stupendam belluam  
 Imo ex mari produxerit, quae foeminae 1335  
 Fastum insolentem frenet.
- Ce. o me perditum!  
 Responsa quae sunt haec?
- Em. sed audi et coetera.
- Or. Nec ante grassari draco ille desinet,  
 Quam Andromeda virgo, filia Regis Cephei 1345  
 Vnica, catenis saxeо adfixa scopulo,  
 Ipsi exponatur devoranda belluae.  
 Sic et capite poenas luet iustissimas,  
 Proterva tumidae lingua quas matris tulit,  
 Et saeva tandem desinet rabies ferae.
- Ce. Quid inquit? an mea nata scopulo belluam  
 Adfigat? illique ferat ea, quae devoret?
- Em. Natam tuam scopulo catenis alliges,  
 Natam alligatam devoret trux bellua,  
 Sic inquit oraculum. heu! quid hoc? adcurrite 1355  
 Et ferte suppetias, rogo: patitur animi  
 Defectionem. Rex serenissime, precor,  
 Exurge, quaere aliquod dolori remedium;  
 Non est futuris masculum frangi malis.
- Ce. Heu! maius est praesens malum atque atrocius,  
 Quam consolatione quod tolli queat.  
 Heu, heu vesanam foeminae superbiam!  
 Egone alligari filiam curem meam?
- Em. Fata hoc volunt.
- Ce. o fata plusquam tristia?
- Em. Meam unicam?
- Ce. sic est.
- Em. novellam Phinei 1360  
 Fratris mei sponsam?

Em.	videlicet.	
Ce.	o dolor!	
	O fors potens! o fata! proh genius meus! Vt stabile nil est, nec licet confidere, Confidere, inquam, non licet successibus, Vt, qui secundis floret, haud in posterum Rebus repente fiat adversis miser.	1370
	O quot mea nata moesta me singultibus Rogabis? ah, ah! quo intueberis patrem Moritura vultu colla complectens? preces Quas admovebis voce lamentabili?	1375
	O fors potens! fortuna varia, volubilis.	
Em.	Sic est. parenti triste pectus effodit, Adversitas si contigit quae liberis. Sed hic quid ages? recalcitrabis numini? Cedas DEO, fors liberatio tibi	1380
	Optata veniet coelitus. ego nunc eo Ammonio rursus litatum oraculo. Tu sponte mandata illius tua expleas; Sic namque mox cessabit infortunium.	
Ce.	Quid nunc agam? quo me - dolor! - vertam? Iovis An contumax Ammonii iussa abnuam? Totum interibit regnum et undique flammeas In me Deorum concitabo iras miser. Agite, paterni cedite affectus procul;	1385
	Cedat metus, cedat timor, miseratio Cedat, parentibusque natura insitus Amor exeat: necem videbo filiae. Iovis haec voluntas; quae voluntate accident Iovis, ea homines aequo pati decet animo.	1390

## Scena secunda

Cassiope, Andromede, Nutrix, Cepheus

Cas.	Satisne diu, filia, domi desedimus?	1395
	Inaniterque Regis exspectavimus	
	Reditum? mora haec perquam molesta fuit mihi.	
An.	Cur ita, mea mater?	
Cas.	quid? rogas? dubio procul Excessit, evasit et erupit, hoc timens Malum imminens. multos enim passim invenis,	1400

- Qui, cum minus secundus aér flat domi,  
 Et coniuges et cara thalami pignora  
 Mox deserunt fugamque captant perfidi.  
 An. Ne hoc dixeris, mater, sed animo sis bono.  
 Nam spero eum salvum adfuturum propediem; 1405  
 Scit quippe magnitudinem periculi,  
 Ergo redditum maturabit eo celerius.
- Cas. Quid opus fuit proficiscier ad oraculum?  
 Annon videtur evirati tibi animi,  
 Cum paululum saltem intonare insana sors 1410  
 Incipit, adire protinus oracula Iovis,  
 Dum cetus ille, quem catervis militum  
 Paucissimis initio abortum interimere  
 Potuisset, interea necem inferat incolis  
 Et plura muris vertat oppida dirutis? 1415
- An. Conatus omnis humanae sapientiae  
 Intenditur frustra sine auxilio Iovis.
- Cas. Gerrae haec, apinae, tricae, virum quae pectora  
 Emasculant; in rebus infestis enim  
 Semper animosa fortiaque decent viros. 1420  
 Ego foemina, sed audaciiori pectore  
 Praedita, vel ipsa aggrederer isthanc belluam,  
 Paucissimis stipata signis militum.  
 Vidi quidem immanem, sed amplius haud metu  
 Trepidō. proinde sic volo, impero, iubeo, 1425  
 Iam iam per urbem colligantur militum  
 Multae cohortes, ferro et aere splendidiae,  
 Quibus omne robur et potentia bestiae  
 Illius acri demetatur praelio.
- An. Sint sane in armis corda nostris fortia;  
 Si fato ineluctabili firmatum erit  
 Punire nos nostrosque bellua fera,  
 Nil nos tremendae irae Deorum subtrahet. 1430
- Cas. Adeste contophori, machaerophori, duces,  
 Instruite catapultas, balistas gesaque,  
 Quin et covinos ferte acutos falcibus; 1435  
 Fremitus equorum, currum stridor boet.  
 Tentabimus: non fit sine ulla audacia  
 Facinus egregium. nostra erit victoria.  
 Hui! Cassiope, quibus celebrabere laudibus  
 Prae Rege, si monstrum tua cadet manu.  
 Dea magna proclamaberis terrae undique.  
 Quid tu, mea nutrix, autumas? quid, filia?
- An. Mea mater, ego nimis, nimis ego angor animo!  
 Et nescio quid mens mali praesagit? 1440
- Cas. Quid istud est?

- Nu. quid obtices? pronuncia.
- An. Tacitus dolor cor lapidis instar pergravat.
- Nu. Omitte luctum neve nondum urgens malum  
Celerare perge. si malum imminens times,  
Geminis timendo. sive nil instat mali,  
Percussa tum vano metu corda trepidant;  
Seu, quod repellant alma Divum numina,  
Mutata nobis fata quid gravius parant,  
Tamen tremiscere non decet formidine.  
Diis dulci odore sacra thura altaribus  
Adolebimus, nec plane inexorabilis  
Mens est Deorum, saepe flectuntur prece.  
Cas. Sed ego meos cernam apparatus bellicos.  
Hi mihi placent, vos thure pellite belluam.  
Abeo.
- Nu. Regina, Domina mea, mane: viden',  
Quis ille sit, nobis qui ibi venit obviam.  
Rex noster est. Rex est. alumna, pater adest:  
Donarium dari mihi volo.
- An. pater ubi?  
Vbi pater est?
- Nu. en, ad sinistram.
- An. cape tibi  
Donario annulum aureamque catenulam.  
Quid hoc mihi repente oboritur gaudii?  
Vt te, pater, laetaque lubensque conspicor!  
Hei mihi, quid hoc? hei, quod lubens cum videris,  
Placido haud tamen nos intueris lumine.
- Cas. Salve, marite.
- Ce. salva tu sis ultimum,  
O Stygia Furia!
- Cas. siccine tuam coniugem  
Primo salute in limine excipis? bone  
Vir.
- Ce. ut dehiscens terra in ima absorbeat  
Te, vel trisulci fulminis tactam impetu  
Ad Ditis atras Iuppiter trudat domos,  
Haec opto.
- Cas. per Iovem bona salutatio?
- Ce. Vt merita, sic saluto, monstrum foeminae.
- Cas. Quid perpetravi?
- Ce. quid? rogas?
- Cas. rogo merito.  
Nullius enim mihi criminis sum conscientia.
- Ce. O pestifera lues, Erynnis Tartari,  
Quae parricidio maculas foedus tuum.

- O fictitia Dea, falsa ni loquar, id statim,  
Statim tuo experiere maximo malo.
- Cas. Quid, Rex, tumultuare? quo te animus rapit?  
Probabis haec scelera mihi, hoc sancte tibi  
Per pulchritudinis meum iuro decus. 1485
- Ce. Quid, improba, tibi vis probem?
- Cas. illata scelera.
- Ce. O fastuosam, o foeminam audacissimam!  
Abscede, profuge longe ab aspectu meo;  
Hoc, hoc, probo, medium tibi discindens caput. 1490
- Nu. Cede, Domina, cede, bile Regi concito,  
Donec furor defervet irae aliquantulum.
- An. Ah, mi pater, compesce animi motus graves  
Nec indecenter inferas matri manus.  
Mala perpetrare cogit ira plurima. 1495
- Ce. Mea nata, iustum iram decet exequi in malos,  
In insolentem foeminae ferociam.
- An. Quidnam tuum sic vexat animum, talibus  
Vt involes prater solitum convitiis  
Matrem?
- Ce. evidens est causa. tu, mea filia, 1500  
Magnis premere moeroribus et angustiis.
- An. Egone? quibus? mi genitor, hem, quod salva sim,  
Diis gratia, decens in genis rubor excubat.  
Salvus etiam, quod scio, meus erit Phineus.
- Ce. Sed vereor, ut sis salva tempore perbrevi. 1505
- An. Esto. modo vos, mei parentes, sospites  
Superstitesque multa agatis secula;  
Hic acquiesco, iactura facilis est mei.  
Sed per Deos oro, pater carissime,  
Expone, quidnam sentiat de bellua  
Oraculum? quae causa sit tanti mali? 1510
- Ce. Puella es, Andromeda.
- An. fateor hoc, mi pater.
- Ce. Quod est puellarum, id tuae curae puta.  
De oraculo neque seritur neque metitur  
Tibi.
- An. obsecro te, annon paterno filiam 1515  
Amore me complecteris nunc amplius?
- Ce. Tace inquit, non audiam.
- An. ah, care genitor.
- Ce. Quae te nihil tangunt, ea expiscarier  
Noli.
- An. imo, genitor, et meum tangunt caput;  
Cum proximus rapidos in ignes consideret 1520

- Paries ... age, tandem fare iussa Ammonii  
Iovis.
- Ce. molesta nimis es, Andromeda, patri.  
Garrire multa pudor inhibeat virgines;  
Me gravia regni distinent negotia,  
Tu questibus animum avocas negotiis. 1525
- An. Sed quando nil efficio gemitu neque prece.
- Ce. Est impium nefasque scire ea virgines,  
Quae mihi rogatus reddidit oracula DEVS.
- An. Hei me miserrimam! ante mihi genitor fuit  
Blandus, fuit amans liberum et matris meae;  
Quis nunc? severus, tetricus, tristis, ferox  
Et robore atque rupe dura durior. 1530
- Quae causa sit, metuo nimis; ego illam assequi  
Nequeo. remedium hoc esse puto tutissimum  
Intaminatam habere conscientiam.
- Ehodum pater, quas conspicor ibi? quae coma  
Viridante praecinctae gradu celeri advolant?  
Quae sint, cedo. 1535
- Ce. proh alma coeli numina!  
Pereo. tibi, mea nata, nunc tibi luditur.

### Scena tertia

Nemesis, Nereides

- Nem. Properate, Ioppes ibi videmus moenia,  
Quae Cephei superba coniux incolit.  
Properate, Neroe prognatae filiae:  
Rex ille Cepheus, Regis illa est filia.  
O prosperum mihi diem! ut te nunc lubens  
Conspicio; bene, mandata Iovis exponite. 1540
- Ner. I. Attende, Rex Aethyopiae Cepheu plагae,  
Attende, quae sint iussa Iovis Ammonii.
- Ner. II. Ob illam inauditam ante coniugis tuae  
Superbiam, quod se suae praestantia  
Formae anteferre coniugi Iovis optimi,  
Deae maris et toti choro Nereidum,  
Illas et in certamen indignissimum  
Sit ausa provocare, tua nata unica  
Andromeda, ferreis ligata vinculis  
In rupibus, poenas luat dignissima. 1550
- 1555

Ner. III. Pluribus opus non est, tenes oraculum.

Ner. IV. Nobis potestas alligandi filiam  
Tuam, a marina devorandam bellua.

### Scena quarta

Andromede, Cepheus, Nemesis, Nereides

- |         |   |      |
|---------|---|------|
| An.     | Ah, mi genitor, istudne fuit oraculum?  |      |
| Ce.     | O nata mea, te Dii volunt, te Iuppiter<br>Iubet marinae exponere scopulo ferae.   | 1560 |
| An.     | Nunc misera demum intelligo, cur tacueris<br>Pronunciatam oraculi sententiam<br>Matremque dictis asperis incesseris.<br>O somniorum iam nimis veram fidem!              |      |
|         | Sed obsecro, contra cruentam hanc belluam<br>Defende me, pater; pater, letho eripe.   | 1565 |
| Ce.     | Ah vereor, ut frustra patrem roges tuum.<br>Quin ad Dearum, nata, procidis pedes;<br>Oratione si quid aut gemitu potes,   |      |
|         | Cor flecte durum, frange mentes ferreas.  | 1570 |
| An.     | O vos benignae, o vos Deae pulcherrimae!<br>Dulce est homini lucem videre coelicam<br>Aurisque in orbe vescier vitalibus,<br>Dulce est parentum exosculari pectora.     |      |
|         | Oro lacrymis, id quando solum iam queo,<br>Vestrisque pedibus corporis advolvo meum:<br>Ne me puellam aevique maturam parum,<br>Dum quinque iam vix attigi trieterides, | 1575 |
|         | Monstro cruentis proiiciatis dentibus.  |      |
| Ce.     | Parete lacrymis meis, Nereides,<br>Servate vitam filiae; nam scipio<br>Meae est senectutis, columna, gaudium.   |      |
| An.     | Ah, sponsa sum, Nereides; iam iam sacra<br>Nostri imminent thalami iugalia. quot meo<br>Sponso dolores, quot gravia suspiria<br>Creabit hic tristissimus vitae exitus?  |      |
|         | Peremtam me lugebit - heu! - viduo thoro<br>Nocteque dieque.  | 1585 |
| Ner. I. | verba mortuis datis.<br>Cepheu, Dei audisti Iovis sententiam.   |      |
|         | Prius retro Nilus fluet septemfluus,  | 1590 |

- 1595
- Et atra nox terris prius lucem dabit,  
Haec quam Iovis decreta fiant irrita.  
Quod ille scilicet semel iussit, ratum  
Fixumque perstat tramite immutabili.
- Ner. II. Puella, quidnam flebiles motus cies?  
Fortiter obire pro tuis te praepara.
- Ner. III. Cepheu, gemitus sepone; nil iuvat mala  
Gravare luctu. regium hoc ipsum reor  
Adversa capere; non levat miseros dolor.
- Ce. Hei, hei miseriam! heu! heu! dolorem! heu, heu gravem!
- Ner. IV. Cepheu, nihil clamore proficis tuo.  
Quin potius Ammoni agere fas est gratias,  
Quod expiatur morte scelus hoc unica,  
Tuaque sit inter tot puellas filia  
Inventa digna, patriam quae liberet.
- Ce. Ah, qualibet me miseriorem miseria!  
An. Mi genitor.
- Ce. ah quid, nata, vis? quid expetis?
- An. Pater, meis dictis tuam aurem commoda;  
Nam te video complere loca cuncta gemitu  
Frustra. mori, mori mea stat sententia.
- Nem. Quin te, Andromeda, nunc expedi brevissimis.
- Ce. O miseriam!
- An. scias, pater carissime,  
Quae non queunt habere sese modo alio,  
Ea velle vincere, labor est plane irritus.
- Quid? tota nunc peribit Aethyopum plaga  
Penitus: parentes vos meos carissimos,  
Me filiam vestram populosque subditos  
Miserabilis vitae manebit exitus.
- At mors mea haec avertere potest omnia;
- Sic per me erit beata Ioppe civitas,  
Quod eam ego morte liberaverim mea.  
Dum vertices lustrabit umbra montium,  
Polusque dum convexa pascet sidera,  
Me, me universa turba laudibus canet,
- Meumque terrae nomen ignotae audient.
- Quid? et hominum Divumque Rector Iuppiter  
Pro matre proque admissae culpae crimine  
Meum caput iam vindicare postulat.
- Fati quod autem praecipit necessitas,  
Vtique ferendum est nec repugnandum Iovi.  
Me fata poscunt, itaque tibi animam libens  
Hanc redbo matri, patriae redbo tibi.
- 1600
- 1605
- 1610
- 1615
- 1620
- 1625
- 1630

- Ner. I. O mira rari pectoris praesentia!  
Nequis profecto adversus ista dicere,  
Cepheu. 1635
- Ner. II. tuam hanc, Andromeda mea, constantiam  
Coram Deabus omnibus celebrabimus.
- Ce. O me miserrimum! miserrimum omnium!  
Quis mihi det ...?
- An. ah, mi genitor!
- Ce. ah, quis det mihi,  
Vt, nata, pro te, te diem miser obeam?  
Nam quid ego lucem Solis aspiciam amplius,  
Te sic mihi erepta? interi, actum est, interi. 1640
- An. Omitte, genitor, sic comam scindere; mihi  
Lacrymabili ista voce nunc frangis animum.
- Ner. III. Andromeda, tempus omne praeterlabitur. 1645
- Nem. Quid tam diu cunctamini, Nereides,  
Edita Deorum iussa in hanc capescere?  
Non amplius moror: sequere, sequere; ipsamet  
Scopulo alligabo te.
- Ce. o Dea, Dea!
- An. ah, temporis  
Concede saltem paululum.
- Ce. ah, concedite;  
Haec namque nostra verba erunt novissima. 1650
- Ner. IV. Iusta petis, esto brevis.
- An. pater, unum te rogo  
Adhuc, tibi antequam supremum do vale.
- Ce. Dic, nata, libere.
- An. meam matrem, obsecro,  
Ob ista, genitor, facta ne quid oderis,  
Cum causa sit lethi mei. 1655
- Ce. ah, mea filia,  
Quid expetis? dolore mihi cor rumpitur.  
Sed quando nullo, filia, in negotio  
Nos te precantem iusta defraudavimus,  
Remissa sint sepultaque crimina omnia.  
Aliquando Diis poenas luet gravissimas. 1660
- An. Miserabilem ut doleo vicem, genitor, tuam,  
Sic utique laetor plurimum de gratia  
Redintegrata matre cum carissima.  
Nunc, nunc adibo animo necem promptissimo.
- Ce. O! heu dolor! dolor! o gemitus! hei, hei dolor!
- An. Nunc, nunc, pater, tuam mihi cedo dexteram,  
Complectar hanc visura postremum die.
- Ce. O mihi manus carissima!

An.	hoc nunc ultimum	
Ce.	Cape osculum.	
Ce.	o carissimum os!	
An.	pater, cape	1670
Ce.	Et osculum hoc et hoc et hoc novissimum.	
Ce.	O molle corpus! grataque amplexatio	
	Blandumque spirans suavis oris halitus.	
An.	O mi pater, mea lux, salus, sidus meum!	
Ce.	Hei, hei!	
An.	iube valere quoque matrem meam.	1675
Ce.	Vae mihi!	
An.	iube valere corculum meum,	
	Sponsum meum, plus centies, plus millies.	
Ner. I.	Nunc tempus instat.	
Nem.	regiam, Cepheu, subi.	
Ce.	O miseriam gravem, o calamitatem feram!	
	Heu, heu!	
An.	vale, vale pater, vale, vale.	1680
Ce.	Discedis, eheu, gnata!	
An.	scilicet, neque	
	Reditura rursus abeo.	
Ce.	patre videlicet	
	Tuo relicto?	
An.	nempe sic uti vides.	
Ce.	Ego te sequar.	
Ner. II.	faxis, cave; neque convenit.	
Nem.	Ingredere, nil hic muneris est tui amplius.	1685
Ce.	O miseriam gravem!	
Nem.	ingredere, inquam, protinus.	
	Quidnam moraris? ocyus ingredere, ocyus.	
Ce.	O sortem iniquam et prorsus intolerabilem!	
	Sumne ego malorum Oceanus? infortunii	
	Seges? quis aerumnas, quis enumeret meas,	
	Quae mens malis tot cogitandis sufficit?	
	Ah quando, quando vitam invisam abrupero?	
	Ah nata, nata, nata, mea carissima!	
	Ah Iuppiter supreme, Dea Saturnia,	
	Ah, nulla restat liberatio amplius!	1690
		1695

## Scena quinta

Nemesis, Cassiope, Nereides, <Andromede, Gynaeceum>

- Nem. Nunc festinanter festinare, oraculi  
Ammonii mandata vestra peragere.
- Cas. O Dii Deaeque superae et inferae Deae!
- Ner. III. Hem, quis ibi clamor oritur?
- Ner. IV. an Cepheus, redit?
- An. Ah, nostra genitrix.
- Cas. o superi et o inferi! 1700
- Nem. Quid tibi negotii hic? bipedum nequissima.
- Cas. O Dii Deaeque! num videtis hoc scelus?  
Ah, nata mea, mea nata dilectissima!  
Quin aufugis? huc, huc subintra regiam.
- An. Matercula, parce.
- Nem. quid, Furia, mihi denuo 1705  
Obsistis?
- Cas. o trifures vos nequissimae!  
Meam, meam furamini quae filiam.
- An. Mater, cave sic probris Deas proscindere;  
Mandata namque oraculi expedient Iovis.
- Cas. Quid? nata, fascinationes sunt, quibus 1710  
Haec turba te sic ludificat miris modis.  
Mecum, age, domum, domum. sinite triveneficae:  
Cultrum videtis?
- An. euge, mea matercula.
- Nem. Apage, apage.
- Cas. gladium nihil curo; neca 1715  
Neca, trucida, filiam reddite meam.
- Nem. Discede procul, Erynnis, e vestigio.
- Cas. Vbi nata mea, ibi et ego; salus nobis, salus  
Ambabus erit una vita, unus rogus.
- An. Cara o parens, frustra tibi vellis comas.  
Sententia haec: ego moriar pro patria;  
Pro aris focusque qui occidunt, non occidunt.  
Abducite, ah, abducite me, Nereides.  
Sed tu, mea mater, vale, vale mater, vale.
- Cas. Ah, nata mea, mea nata dilectissima!  
O me miseram! cui tot subito ingruunt mala. 1725
- Ner. IV. Hoc quicquid est malii, ipsa conflasti tibi  
Tua insolentia, puella quod innocens  
Andromeda filia tua capite iam luet.

- Cas. Me, me, profundi magne Dominator freti,  
 Invade; me, me bestia illa devoret  
 Et tu trisulcis dividens tela ignibus.  
 In me malignis obrutam infortuniis  
 Molire cuncta flammeo acta turbine.  
 Ego crimen hoc feci: at quid asto diutius?  
 Cur non gradum vestrum anticipo pede celeri? 1730  
 Hic, hic: ligate mihi manus, Nereides,  
 In me catenas iniicite vestras statim.
- Nem. Apage, verenda DEA, Iuno formosula,  
 Vbi tempus hoc te quoque ligandi venerit,  
 Centum catenis plausta onusta et malleis  
 Tibi ex maris voragine advehemus huc. 1740
- An. O vos parentum amore plena pectora!  
 Quot non subitis undiquaque pericula,  
 Modo liberorum sarta tectaque stet salus!
- Ner. I. Quin tecta subis ocyssime.
- Ner. II. ehem, vapula. 1745
- Ner. III. Hem, cape.
- Ner. IV. cape et hoc.
- Ner. I. ingredere.
- Cas. vae miserae mihi!
- Eheu, caduca spes parentum de suis  
 Concepta natis! quam volubili rota  
 Sursum deorsum res cadunt mortalium!  
 Frustra educavi, nata, te; ah, ah, pertuli  
 Frustra labores, anxia incassum fui,  
 Frustra dolores passa sum puerperi.  
 Frustra apparavi quoque tibi connubia.  
 O spes inanes, o inanes spes meas!  
 Hei, hei dolor, dolor! o gemitus! hei, hei dolor! 1750
- An. Intrasse iam parentes tecta gaudeo,  
 Ne contui dirum genus mortis queant.  
 Nunc, o puellae, virginum decus inclytum,  
 Vobis supremum quoque VALE dicere decet.
- Gy. Hei, hei dolor! hei, hei, hei dolor! dolor! dolor! 1760
- An. Ah, quando vobiscum tereti acu stamina  
 Rursus traham?
- Gy. o dolor, dolor, dolor, dolor!
- An. Ah, quando rursus erit dies is, quo Iovi  
 Iovisque filiae melos cantabimus?
- Gy. Hei, hei dolor! hei, hei, hei dolor! dolor! dolor! 1765
- An. Nunc tu mea patria, civitas Ioppensium.
- Gy. Hei, hei dolor! hei, hei, hei dolor! dolor! dolor!
- An. Vos civitatis incolae Ioppensium,  
 Matresque virginesque, iuvenes et senes,

	Et divites et pauperes, valete iam, Valete; nostri memores este perpetim. Tum de nece atque obitu meo longe optimo Bene ominantes noenias canite mihi.	1770
Gy.	Hei, hei dolor, dolor, dolor!	
An.	Vale solum, vale salum, vale polus, Vale ignis, aër vale, vale aqua, tellus vale. Tuque, aureole Sol, vosque fulgida sidera Tuque, ignea Phoebe, tuque lux novissima Hodierna nostris haurienda oculis: VALE. Valete, valete; Andromeda mortem laeta adit.	1775
Gy.	Hei, hei dolor, dolor, dolor!	1780
Nem.	Nereides, vos vestra nunc exequimini Mandata. quid cessatis? isthaec vincula Circumiicere, tum malleo compingere!	
An.	O vos catenas pulchriores aureis! Vos fero libenter pro salute patriae.	1785
Nem.	Hoc clavo adamantino pedes affigite.	
Ner. II.	Peracta cuncta sunt Deorum munia. Andromeda, vale fortique maneas pectore; Fors tibi veniet optata liberatio.	1790
	Nam Iuppiter bonos perire non sinit; Sin minus, age, actum erit brevi.	
Ner. III.	vale.	
Ner. IV.	vale.	

## Scena sexta

Nereides, Nemesis

Ner. I.	O virgo perrara pietate nobilis!	
Ner. II.	Exemplar o pudoris et modestiae!	
Ner. III.	O mentis almis expolita dotibus!	1795
Ner. IV.	O plurimis adaucta donis corporis! Quam sponte suum profundere cupit sanguinem. Vtinam tibi auxilium veniret coelitus!	
Ner. I.	At vos, inertes reddere animam patriae, Perennibus tenebrarum in umbris et loco Spreto sepultos longa teget oblivio. At Andromeda fama vigebit perpeti, Dum sidera polus, terra flores continet. Vtinam tibi auxilium veniret coelitus!	1800

Ner.	II.	O digna sane virgo multis seculis, Cuius teneri decerpsit aevi flosculum Tumida execrandae matris insolentia. Ingenia nam plerumque sic sunt mulierum, Glaucomata ut coniugibus obtrudant suis; Fastuque se, viros suos et liberos Cunctosque subditos eunt, heu, perditum. Talis mulier improba malum est virus viro. Scylla et Charybdis, Sicula contorquens freta, Minus est timenda; nulla non melior fera est. Sed, o puella, virginum flos inclyte,	1805
		Insana vitae quid aufert sors tibi, Id adiiciet tibi fama laudi postuma. Vtinam tibi auxilium veniret coelitus!	1810
Nem.	Vos, qui impotenti spiritu, Vos, qui insolenti lumine,	1815	
	Vestibus amicti turgidis Formaque vultus efferi, Qui mentis arrogantia Deos hominesque temnitis,	1820	
	Cavete, cristas ponite; Alias catenis ferreis, In rupe vos ligabimus, Gladioque noctes et dies Divina Nemesis undique Vos persequetur flammeo.	1825	
	Iovi placet modestia, At displicet superbia.	1830	

## Chorus canens, Echo

<i>O fax virginei pudoris! oris.</i>	
<i>Quo te fata iubent suprema abire?</i>	
<i>Obire. triste lethum?</i>	1835
<i>Laetum. praeda futura, dura, fera?</i>	
<i>Vere.</i>	
<i>Eheu! heu!</i>	
<i>O nostrae columen decusque Ioppes</i>	
<i>O spes. et patriae columna, alumna,</i>	1840
<i>Hinc tibi perenne nomen</i>	
<i>Omen. tua fama scandet</i>	
<i>Superna castra. ad astra.</i>	
<i>Ergo, Andromeda, dulciter valebis,</i>	
<i>Vale bis. vale, VALE.</i>	1845
<i>Eheu! heu.</i>	

## Scena septima

Andromede

- An. Ah, moribus pulchris decorae virgines,  
 Cessate moeniis; sat est novissimi  
 Honoris exhibitum mihi. sed o dolor!  
 Quo reddere vobis ore possum gratias,  
 In miserias et calamitates ultimas  
 Detrusa? vobis Iuppiter referat vices.  
 Ite, ite nunc, statuite luctificis modum  
 Lacrymis. at! o supreme Iuppiter!  
 Iam proruit draco: sonum dirum audio. 1850  
 Iam proruit draco: puellae cedite,  
 Fugite, fugite. miserrimae mihi ferte opem,  
 O coelites! adeste mihi, vos obsecro;  
 Facite, dolores morte celeri ut finiam.  
 O coelites, exolvite vitae me cito. 1855  
 Ah, quid querar? quid misera deplorem? pedem  
 Bellua retro repressit. eheu, Iuppiter!  
 Heu, Iuppiter! num me enecabis illius  
 Timore ceti? o me miserrimam omnium!  
 Vos, quae rata opera pollice netis triplici,  
 Parcae, quid, eheu, amplius mihi parcitis?  
 Diutius quid pensa nostra ducitis?  
 Rumpe, Lachesis, rumpe mea vitae stamina,  
 Praecide celeri fila longa satis manu.  
 Redi, redi draco, redi draco oxyus, 1865  
 Haurito iuvenem sanguinem, iuvenilia  
 Invade membra, tunde, frange, devora,  
 Ne p[re] pavore misera lente tabeam.

## Actus quartus Scena prima

Perseus

- Per. Quam sint severi in punienda coelites  
Superbia, hoc Medusa Phorci filia 1875  
Miserabile suo satis indicat exitu.  
Haec namque virginum omnium pulcherrima,  
Quotcunque Pisidiae in plaga Titan videt,  
Se pulchriorem iactitabat Pallade,  
Cerebrigena patris mei Diespitris. 1880  
Hos spiritus tumidos et arrogantiam  
Dea graviter ferens, prius crines, quibus  
Medusa gloriarier vel maxime  
Solita est, in angues vertit aspectu truces  
Deditque, ut omnes intuentes Gorgonem 1885  
In dura saxa verterentur illicet.  
Nam si quis accepto a Iove munere vel nimis  
Se iactitet, Deos vel ipsos repudiat,  
Id omne, quod a Diis habet immortalibus,  
Aufertur, et tantum calamitatum accipit 1890  
Cumulum, bonorum quantus aderat pristinum.  
Sed alma Pallas, calamitatum denique  
Mortalium miserta, me speculo suo  
Cristallino volucribusque suavium  
His calceis Nympharum et amplo sacculo 1895  
Galeaque Plutonis gladioque Mercuri  
Adamantino instructum ad necandas Phorcydas  
Emisit, unius usum habentes luminis.  
Hoc ergo furtim lumine erepto ac dolo,  
Per devia per abditaque longe et inviis 1900  
Horrentia sylvis saxa Gorgoneas domos  
Tetigi, ubi colubriferum Medusae virginis  
Caput repercuesso aere clypei contuens,  
Somno sepultum ictu unico hac haspe abscidi;  
Mox de capitis cruore prosilit equus 1905  
Hic alipes, quo vectus in Atlantis solo,  
Pomariis claro aureis, cito constiti,  
Qui, quod negarit hospitium lasso via  
Verbisque me simul increparit asperis,  
Virtute capitis amputati Phorcydos 1910  
Mons factus est, humeris Olympum sustinens.

Hinc innumeris infraque circumque populis  
 Terrisque praeteritis, plagas Aethyopiae  
 Tractusque Regis conspicio nunc Cephei,  
 Qui iura, scio, praebabit hospitii mihi  
 Ciboque potuque recreabit languidum.

1915

## Scena secunda

Andromede, Perseus

- An. O summe Rector universi Iuppiter!  
 Te in hac mea extrema necessitate, ubi  
 Sum derelict<sup>a</sup> ab omnibus mortalibus,  
 Invoco tuaque deposco supplex numina. 1920
- Per. Hominisne vox meas ad aures advolat?
- An. Si, Iuppiter, tuae voluntati placet,  
 Defende me contra hanc cruentam belluam.
- Per. Vt me meus amet genitor: est humana vox.
- An. Sin hoc repostum est in Deum consessibus,  
 Vt sanguinis fiat mei profusio,  
 Age, pareo lubens, parata sum satis.  
 Proieci amorem lucis omnem, spiritum  
 Tu collocabis inter astrorum globos. 1925
- Per. Humana vox, quaecunque sis, prodi, ocyus  
 Prodi: meis certo iuvabere viribus,  
 Si proba es et innocens; sed impia, hoc cades.
- An. O coelites, miseremini, miseremini!  
 Quo usque cor terroris aestu fluctuet?  
 His maximis finem doloribus date. 1930
- Procede, monstrum, dentibus discerpe me.
- Per. Bone Iuppiter, monstrum vocat. monstrum iacet  
 Meo peremtum brachio. prodi, ocyus  
 Prodi; nihil cerno, nisi illud marmor. at  
 Habet capillos, aura quos levis movet. 1935
- Imago certe viva pulchrae est foeminae  
 Et digna, mensis quae Deorum accumberet.
- Miror: quid, si adeam et alloquar? sic facto opus,  
 Indigna virgo illis catenis ferreis,  
 Sed digna amantium ligari vinculis. 1940
- Pande mihi, cur affixa sis his cautibus?  
 Quid, quaeso, te pudet? quid, amabo, sic siles?  
 Totum modo complesti aërem clamoribus 1945

	Tuis, sed nunc inane vocis os habes.	
	Proh, ita homines plerumque sunt: cum nil refert,	1950
	Illos pudet; sed cum pudendum est, tum pudor	
	Deserit eos. quid obtices, quaeso, amplius?	
	Quid lacrymis imples obortis lumina?	
	Loquere, loquere, inquam, mihi genus et nomen tuum.	
	Aut ...	
An.	o iuvenis, o quisquis es, sum Cephei,	1955
	Aethyopiae Aegyptique Regis, filia.	
Per.	Tun' Cephei Regis potentis filia?	
An.	Ita est.	
Per.	cave sis, feceris fucum mihi.	
	Tun' Cephei Regis potentis filia?	
An.	Ego sum.	
Per.	papae! quid audio? quod, obsecro,	1960
	Nomen tibi?	
An.	nomen Andromedae mihi fuit.	
Per.	Virile et humanum tibi nomen contigit.	
	Sed cur liget corpus catena, dic, tuum?	
	Te crimen oportet perpetrasse maximum.	
An.	O iuvenis, haud quicquam sceleris admisimus,	1965
	Vt tu putas.	
Per.	cur igitur huic affixa stes	
	Scopulo, refer.	
An.	mater mea, heu, mater mea	
	Peccavit, almas quae laccessivit Deas.	
Per.	Deas?	
An.	ita loquor.	
Per.	sed, cedo, qua potuerit	
	Re?	
An.	pulchritudinis suae fiducia,	1970
	Qua cum Deabus ausa fuit contendere.	
Per.	Pro matre tua igitur luis poenas?	
An.	luo.	
Per.	Ne moesta lacrymis lugubrem vultum riges.	
	Adamantina haec statim tibi solvam vincula.	
An.	Remove manum, tibi haud licet. solvet alias.	1975
Per.	At ille quis?	
An.	profundi ab alti gurgite	
	Monstrum stupendo proruet iam corpore.	
Per.	At vincla quanam poterit arte solvere?	
	Loquere mihi, puella, paulo apertius.	
An.	Quia sic rogando iuvenis instas, accipe:	1980
	Trux illa me iam devorabit bellua.	
Per.	O facinus indignum! quis autor illius	
	Sententiae?	

An.	autōr Iuppiter est Ammonius.	
Per.	At! o iuvenis, o profuge, profuge ocyus!	
Per.	Quid istud est clamoris?	
An.	ocys aufuge;	1985
	Namque maris e medio eminet bellua sinu.	
	O summe, lassam, Iuppiter, suscipe! precor,	
	Susceptam in Elysias plagas infer animam.	
Per.	Ne sic, puella, animum tuum desponeas.	
	Ego spero meliora, mihi nam praesaga mens.	1990
An.	O vos parentes - heu! - mei carissimi,	
	Nunc, nunc ineluctabilis advenit dies.	
Per.	Fletus remitte, prospero res in statu est.	
	Mea hac manu imperfecta bellua corruet.	
An.	O iuvenis, hic tuus labor erit irritus,	1995
	Praedico.	
Per.	maxime autōr o generis mei Iuppiter, in hoc miserabili rerum statu, Per te meae matris decus, cuius sinu Olim influxisti pluvia suaviter aurea, Oro, obsecro, ut monstrum trisulco fulmine	2000
	Ferias, in Andromedam prius ne saeviat, Quam Cephea ipsius patrem convenerim. Vale interim, Andromeda; statim rursus adero.	
An.	Dii, date mihi pro patria mea mori, Mors qua esse nulla gloriosior potest.	2005
	Dii, date mori citissime, citissime, Timore ne diu stupefacta torquear. At si hic iuventae flore primaevō vigens	
	Heros marinam istam necatum belluam Meque necis huius erutum e periculis	2010
	Vestra voluntate atque nutu accesserit, Robur, agite, validum atque inexpugnabile Animique fortis gratiam largimini.	

### Scena tertia

Perseus, Bulaeus, Cepheus

Per.	Isthaecne Regis Cephei regia domus?	
	An me fefellit error ambiguū viae?	
Bul.	Est ista Cephei domus. sed nunc eam	
	Luctus, pavor, metus atque lacrymae inhabitant.	2015

Per.	Regem volo conventum, gravis res me impulit.	
Bul.	Amice, non datur aditus ad Regem neque Ad coniugem Regis; sedent intus, cadunt Densae per ora lacrymae, et assiduo genae Rore irrigantur, qualiter Libani iugis Tepido madescunt imbre profusae nives. Proinde protinus retro reprime gradum, Vel a marina devorabere bellua,	2020
	Quae iam ligatam silice in illa virginem, Regis mei natam enecabit unicam.	2025
Per.	At vos iuvandi mihi potestas est; ego, Ego lacrymas in iubila vertam et gaudium.	
Bul.	En, evocabo protinus, tibi si placet.	2030
Per.	Ocyssime. proh alma coeli numina: Vt hic homines pavida tremunt formidine, Obicibus ut stant ostia clausa ferreis; Quasi vero in istis obseratis moenibus Non deprehendat te supremus Iuppiter.	2035
	Sive in latebris intimis tete ocellas, Sive tenebrosa regna adeas Proserpinae, Iram Iovis fulminaque fugies nullibi Tutus. sed is, ni fallor, est Rex Cepheus, Quem conspicor pullis amictum vestibus.	
Ce.	Quae causa te, hospes, impulit proficisci Ad deditum Regem lacrymis et questibus?	2040
Per.	Perseus ego, Danaes Iovisque filius, Serpentigerae superator ille Gorgonis, Tuam marinae belluae obiectam, Iovis Virtute operaque, liberabo filiam.	2045
Ce.	O iuvenis egregia indole, unde haec est tui Animi voluntas, altus unde hic spiritus? Metuo.	
Per.	metum, Rex, pone. nam quem coelitum Favor tuetur, ille tutus est satis.	2050
	Qui terribiles adversus illas Phorcydas Vires mihi largitus est, is iam quoque Natum suum contra feram hanc tutabitur.	
Ce.	Age, si placebit, hospes, obiicere tuum Caput periculo, aggredere.	
Per.	sed quod meum, Saeva peremta bellua, brabeum erit?	2055
	Magnus labor magnum reposcit praemium.	
Ce.	Quicquid tibi placuerit, a nobis feres, Quamvis meam totam petas Aethyopiam.	
Per.	Non regna peto; avus est mihi ditissimus Argenti et auri, subditorum et urbium.	2060

	Sed hoc, quod atrae mortis e discrimine Eripiam, unum hoc mihi dari volo praemium. Hoc acquiesco.	
Ce.	filiamne existimas?	
Per.	Vt dicis, hanc propriam dices mihi thalamo.	2065
Ce.	At illa desponsata fratri Phineo.	
Per.	At illa despensatio nulla amplius.	
Ce.	Cur?	
Per.	nonne mors solvit iugalia vincula?	
Ce.	Sed nata adhuc vivit.	
Per.	tun' illam vivere Dices, quae opinione mortua omnium? Neque vivet, ni mea reviviscat manu. Mea igitur illa sit, necessum est: annuis?	2070
Ce.	Age, iuvenis, certamina cum monstro subi Nobisque victrici obtine palmam manu. Promittimus tibi filiam, promittimus Dotale quoque regnum.	
Per.	paciscere igitur, ut Mea sit, meis servata viva praeliis?	
Ce.	Paciscimur.	
Per.	ego praefear cunctis gener?	
Ce.	Accipimus hanc legem.	
Per.	ergo modo faveant mihi Numina, faveat mihi Iuppiter genitor meus, Tentabo; vos intus rogate coelites.	2080

## Scena quarta

Andromede, Perseus

An.	O luctus! o dolor! o dolorum aceritas! Ah! ah! quis hominum, quis Deorum respicit Me? quis metu perterritam me liberat?	
Pe.	Vt nunc vales, Andromeda? monstrum an prodiit?	2085
An.	O iuvenis expectate diu, precibus tuis Iuppiter inhibuit belluam hactenus. at, viden? Nunc, nunc opus est, ut dimices viriliter.	
Pe.	Quidnam puella sic tremis? potius Iovi Confide: is optatum dabit certo exitum. Io caballe, io quate ungula solum, Celerem inque gyrum vertito celeres pedes,	2090

	Tellure pulsa pedibus in nube arduus. Cum Pegaso abibo, dimicatum ex aethere Cum bellua; io Pegase, io subsili.	2095
An.	Ah, ah, miserrima sum! perii nunc funditus! Ah, mihi miserae spes nulla superest amplius? O iuvenis, eheu, iuvenis: ita me deseris. At quem per auras huc volantem conspicor? Nunc, nunc timore paululum abiecto bonam Concipio spem meae salutis pristinae. O magne Olympi Rector et mundi arbiter, Concede vires, robur immitte iuveni.	2100
Pe.	Secura, mea Andromeda, esto; opus feliciter Succedet, ut spero: pedes quoque irruam In belluam conamine audacissimo. Sic, sic in hostem ire iuvat. alme Iuppiter, Iuva; iuvans pater, iuva. ehem, tractus es.	2105
An.	O magne Olympi Rector et mundi arbiter, Concede vires, robur immitte iuveni.	2110
Pe.	Nil fulmina tua curo nec aquarum minas. Hoc dextro in armo cape.	
An.	iuvate, coelites, Iuvate: ferrum hamo tenus curvo abdidit.	
Pe.	Sive gravi in auras laesa fera tu vulnere Sublimis attollas, ferocis sive apri De more versas, turba quem terret canum Circumsona, nihil te iuvabunt omnia.	2115
An.	Divum et hominum fidem! metus, metus abiit, Vt capita costasque laterum, ut duo guttura, Vt caudam, ut ora cuspide suo vulnerat. O Iuppiter, largire vires amplius.	2120
Pe.	Gaude, Andromeda: iam nostra erit victoria.	
An.	O magne Olympi Rector et mundi arbiter, Concede vires, robur immitte iuveni. Ah, vereor: ut proructat ignium globos, Vt dira mistos ore fluctus evomat,	2125
	Vt cuncta sanguineo madent aspergine. O iuvenis, hic scopulum vides, qui vertice Summo extat; hoc nixus necabis belluam.	
Pe.	Gaude, Andromeda: iam nostra erit victoria.	2130
An.	O summe Olympi Rector et mundi arbiter, Concede vires, robur immitte iuveni. Euax! tacita mentem pererrant gaudia. Viriliter age, iuvenis, atque fortiter, Labore digno merces digna erit tua.	2135

- Pe. Gaude, Andromeda: iam nostra erit victoria.  
Per ilia repetita adeggi cuspidem;  
Gaude, puella: victoria! victoria!
- An. Io, peremta iacet.
- Pe. peremta iacet fera.
- An. Periit fera.
- Pe. occidit fera.
- An. interiit fera. 2140
- Pe. Io io victoria! io io victoria!  
At o parens, supreme Rector, Iuppiter,  
Tibi laus, honor, decus perenne et gloria  
Hoc pro triumpho maximo et victoria.
- Sed quid diutius moror? cur non gradu  
Curro citissimo ad meam carissimam? 2145
- An. O iuvenis inclyte, o salus mea unica!
- Pe. O gemma mea, mea suavitas, o mel meum!  
Cape osculum primum, secundum, tertium.
- An. O anime mi, mea vita, cor, spes unica! 2150
- Pe. O ambrosia et nectar meum dulcissimum,  
Nunc nulla tibi nocebit amplius fera.
- An. Vitae meae properante fato prorogas  
Annos, tibi quodnam rependam praemium?  
Dii coelites tibi digna reddant praemia.
- Pe. Mea es, puella inclyta, mea es; tu praemium:  
Sic namque pactus sum parente cum tuo. 2155
- An. Huic quod placet, placebit et mihi; nam decet  
Parere liberos suis parentibus.
- Ego praeda iam rabidae fuisse belluae,  
Ni tu mihi desertae ab omnibus viris  
Opem, velut e polo, tulisses, Iuppiter.  
O quae beata te tulerunt secula,  
O qui parentes, obsecro, genuere te!
- Dum fluvii et amnes influent in aequora,  
Semper tuus honos et celebre nomen tuum  
Laudesque florebunt locis in omnibus. 2160
- Pe. Nunc, Andromeda, duris resoluta vinculis  
Incede, causa tu preciumque praelii.  
Sine, lacrymas abstergeam sudario. 2165
- An. O iuvenis, ah parce; nimis occupatus es.
- Pe. Labor hic levis nullas mihi molestias  
Creat. sed ambas quoque manus mihi porrige.
- An. Quidnam cum iis ages?  
Pe. videbis, corculum:
- Ambas enim exornabo armillis aureis.  
Hunc quoque cape tibi intertextum auro iaspida, 2170

	Hanc auream aptandam tuo catenulam Collo.	
An.	o iuvenis, ornata sit virtutibus Puella proba, non aureis cimeliis.	
Pe.	Nunc laeta quoque tuis feremus nuncia Parentibus.	2180
An.	vale scopule, vale, vale, Perpetua mei luctus necisque memoria. Atque ecce, venientes parentes conspicor.	

## Scena quinta

Cepheus, Cassiope, Andromede, Perseus

Ce.	O gaudiorum gaudium!	
Cas.	o, o gaudium! Te filiam videre salvam ut gestio!	2185
An.	Carissime genitor, suavissima genitrix, Quod salva sim, videtis; hem, bellua iacet.	
Ce.	Ah, quem prius amplexer? mea unica filia! Prae gaudio totus tremo; ah! succurrite, Animi.	
Cas.	animi defectio, succurrite Ocyus.	2190
An.	hoc quid, pater, pater carissime?	
Per.	Auguste Rex, quid concidis prae gaudio? Gaudiaque nostra vertis in suspiria?	
An.	Ah genitor, ah surge.	
Ce.	hem, redit iam spiritus. O vix apud me sum.	
Cas.	teneone te, mea Filia? quid? inopinata modo felicitas Moerore pulso lacrymas mihi excutit. O prospera dies, o lapillis candidis Signanda, conspergenda virenti flosculo. O nata mea, mea nata: tibi quid animi erat In rupe?	2195
An.	vobis intus exponam omnia.	
Cas.	Salve triumphator, generis nostri decus. Heros, ave, divine, adusque posteros Tuum manebit nomen et laudes tuae.	2200

	Tibi omnis Aethyopiae et Aegypti novum Proles honorem et gratias magnas dabit.	2205
Ce.	Proh! num meam conspicio salvam filiam? An vana mihi tantum refertis somnia?	
Per.	Haud vana, Domine Rex, referimus somnia Tibi, sed ipsam liberatam filiam.	2210
Ce.	Perenne decus, summa Aethyopiae gloria, Sis salvus ac superstes omni tempore, Semper triumphatrice clarus dextera.	
Cas.	Te diligent semper homines, te praedicent, Nostrique concinant tuas laudes chori.	2215
Per.	Quid talibus me prosequimini laudibus? Laudandus est summus Deorum, Iuppiter, Qui solus e polo hanc dedit victoriam, A quo venit victoria omnis omnibus.	
An.	Merito equidem Iovi habere et agere gratias Aequum est piumque, cuncta quando prospere Feliciterque gesta sunt a Perseo.	2220
Per.	Quid nunc, serene Rex? vides, quod filiam Tuam tuamque, Cassiopaea, ex faucibus Ceti meae vitae periclo maximo Nunc liberaverim.	2225
Ce.	tenemus, inclyte Heros.	
Per.	sed et promissa vestra nunc decet Persolvere meumque dare quoque mihi praemium.	
Ce.	Nam stare promissis bonum decet virum.	
Cas.	Quaecunque sunt, omnia tibi praestabimus.	2230
Ce.	Sed prius oportet, ut subeamus regiam; Nam te fatigatum scio certamine. Pullis remotis vestibus, solennia Altaribus Deum feremus munera, Hac pro canenda perpetim victoria	
	Holocausta sacris concremantes ignibus.	2235
Per.	Recte facis. nam sicut a Iove optimo Existit omnis omne principium boni, Sic et merito in eum omnis exitus boni Reducitur.	
Ce.	peracta cum fuerint sacra, Omnes Ioppes convocabimus incolas Et subditos ad festa nuptialia. Et sic celebritate festiva hunc diem Laetum celebrabimus senes atque iuvenes,	2240
	Vt cum mea Andromeda redemta filia	
	Et nos et illi gaudeamus, et fient Huius diei participes, qui modo bene	2245

Nobis volunt laetaque de nece belluae  
 Meaeque liberatione filiae  
 Saturi Cerere et Baccho triumpho iubilent.

2250

## Scena sexta

Coloni III, Opilio, Bulaeus

- Co. I. Vt gestio!  
 Co. II. ut tripudio!  
 Co. III. cor mihi salit,  
           Venisse tandem heroa fortem et inclytum,  
           Manu sua qui illum necarit Cerberum.  
 Op. Hui gaudium! nunc calamitates Cepheus  
       Rex noster et Dominus pius, clemens, bonus  
       Rependet omnibus, quibus damnum datum est. 2255
- Co. I. Hui! nunc novi sumus homines.  
 Co. II. Domini sumus.  
 Co. III. Reges sumus.  
 Op. opulentiores Regibus.  
 Co. I. Gaudete socii, iubilate singuli!  
 Omnes *coniunctim* Io! io! io! io! io! io! io! gaudium. 2260  
       Quantis dies hic nos replebit gaudiis!
- Co. II. At ecce, per Deos, hic illud robore  
       Monstrum stupendo, caedibus nostris furens.  
 Co. III. Hem! sancte salve Cerbere, ut, quaeso, vales?  
 Co. I. Nolite nimium Cerbero confidere; 2265  
       Fors fraudulentus simulat illatam necem,  
       Nos ut inopinantes colonos devoret.
- Op. Vt oogala et oxygala mea tibi sapuit?  
       Butyrum? oves? pressique lactis copia?  
 Co. II. Vt tibi boves nostri sapuere et buculae?  
 Co. I. Vt tibi domus meae placuere et horrea?  
 Co. III. Regisne tuo arrisit palato filia?  
 Bul. Vobis colonis iussa perfiero regia,  
       Vt hanc peremptam belluam raptetis hinc,  
       Ne odore Regis inficiat nares gravi. 2270
- Co. I. Ah, Domine mi, monstrum quis illud audeat  
       Adire?  
 Bul. vos effoeminata pectora,  
       Mandata Regis pertimescitis exequi?  
       Salute pro vestra excubantis vespere 2275

	Sero novoque mane, cum somni gravis Victi illecebris, ronchos supini ducitis; Quique unicae minime pepercit filiae, Modo vestra sarta tectaque essent commoda: Et vos timetis mortuam aggredi feram? Quid amplius statis, silices Marpesii?	2280
Co. I.	Ah parce, Domine, parce, ne nos mordeat.	
Bul.	Insulsa pecora Arcadia, γ' δάκνει νεκρός, Intelligitis? haud caesa mordet bellua.	2285
Co. III.	Ah! ah!	
Bul.	quid amplius? prehendite Cerberum! Adhucne statis otiosi? hem, tibi! cape hoc, Hoc tibi, tibi.	2290
Co. I.	au! parce, Domine clemens.	
Bul.		sic decet
	Mandata tremebundos docere regia.	
Co. II.	Ah parce, parce! iam removebimus feram.	
Bul.	At oxyus.	
Co. III.	ut trepido!	
Co. I.	cor excidit mihi.	
Co. II.	Cor palpitat.	
Op.	mens horret et surae tremunt.	2295
Bul.	Apprendite, inquam, aut gravius vapulabitis.	
Co. III.	At, at, movet caudam: resurget mortua.	
Bul.	Huc, huc fugitivi.	
Co. I.	ah parce, Domine, queso te, Simplici homini.	
Bul.	sed nebuloni dupli.	
Co. I.	Iam iam tuae parebimus sententiae.	2300
Co. II.	Vt te, scelestum Cerberum, Pluto DEVS Perdat! tui causa minas et verbera Passi sumus. raptate monstrum pessimum.	
Co. III.	Quod si ego caput et Rex Aethyopiae dicerer, Aut in medio Nilo abiicerem aut flammis darem.	2305
Co. I.	Hui, quanta moles!	
Co. II.	Opilio ignavissime, Quid restitas? manum tenens absconditam?	
Op.	Removete celeriter, antequam Rex prodeat.	

## Scena septima

Cepheus, Perseus, Cassiope, Andromeda

- Ce. Illustris heros, inclytum Iovis genus  
 Generque magnanime, Iovi nunc maximo  
 Genitoque Maia Palladique Tritoniae,  
 Quibus tuam acceptam ferimus victoriam,  
 Positis odorato focus de cespite  
 Caesisque cunctis victimis, tauro Iovi,  
 Vacca Minervae, sed vitulo alipedi DEO;  
 Nunc restat, ut thalamo tuo, gener inclyte,  
 Hanc unicam nostram dicemus filiam,  
 Dignum brabeum fortitudinis tuae. 2310
- Per. Auguste Rex, inclyte sacer, quod honoribus  
 Me condecoras, id mente grata, ut convenit,  
 Agnosco merito memoriamque benefici  
 Tanti ex animo patiar oblitarier  
 Nunquam, quoisque meos regit artus spiritus. 2315
- Ce. Optate gener, hoc debeo tibi praemium,  
 Virtutibus tuis id ante meritus es: 2320  
 Non te mihi, sed nos tibi agere gratias  
 Aequum est tuique commeminasse perpetim.  
 Andromeda, non opus esse opinor, quae domo  
 Transacta sunt, repetere verbis pluribus.
- An. Novi genitor omnia, tua voluntas mea est. 2325
- Ce. Ergo quod omnibus bene vertat Iuppiter,  
 Stabili thoro tibi iungo filiam meam,  
 Pro qua gravi vitae tuae discrimine  
 Torsisti in immanem draconta cuspidem.  
 Lucina, praeses alma matrimonii, 2335  
 Haec foedera legitimi cubilis sospitet;  
 Hymen Hymenaeus adsit, Amor et Gratia.  
 Bubo profanus absit et Eumenidum cohors.
- Cas. Sis, Andromeda, mea nata dilectissima,  
 Vxor beata procreandis liberis,  
 Multa maritum prole dones Persea. 2340
- Ce. Nunc igitur haud quicquam amplius restat tibi,  
 Quam ut hocce sacri vinculum coniugii  
 Solenniter firmetur coram testibus,  
 Taedisque consecremus hunc totum diem. 2345  
 Vos quotquot hic adestis, omnes, singuli,  
 Pueris puellae, foeminis iuncti viri,  
 Omnem procul ablegare tristitiam decet

Laetisque festum exigere plausibus diem,  
Quo liberata Andromeda fuit a bellua.

2350

## Chorus canens

*Io! io! io! iubilemus!*  
*Io! tripudiemus omnes!*  
*Adesto Hymen Hymenae,*  
*Adesto Venus Amorque*  
*Ad laeta festa taedae.*  
*Moveantur plectra, psallant*  
*Fides pulchre sonantes*  
*Cum cymbalis canoris.*  
*Perseu serene, sponsa*  
*Virtutibus decora,*  
*Vivite laeti, triumphis*  
*Clari, sobole beati.*  
*Io! io! io! iubilemus!*  
*Io! tripudiemus omnes!*

2355

2360

## **Actus quintus**

### **Scena prima**

Iuno

- Iu. Egone, soror et uxor Iovis ter maximi,  
Patiar inultam Cassiopes superbiam?  
Potuitne liberare scopulo e pellice  
Prognatus Andromeden, et amplius nihil  
Poterit Saturnia Dea, Dominatrix poli,  
Ferro interemta bellua Neptunia? 2365  
Non sic abibunt odia, vivaces aget  
Violentus iras animus et poenas graves.  
Via redeo nocente taxo nubila,  
Quae fert ad infernas per alta silentia  
Sedes, ubi sorores nigra nocte genitas,  
Numen grave atque semper implacabile, 2375  
Vehementer sollicitavi et imperio et prece,  
Vt vindicarent hoc novum Persei scelus.  
Vt olim Athamanteos et Inoos sinus  
Spumis trifaucis Cerberi et Echidnae trucis  
Sanie mea ad mandata perfudit lubens  
Eumenis, ab imo Tartari fundo excita,  
Sic nunc etiam Dea tenebrarum incola meis  
Parebit animo iussibus promtissimo  
Et Phinea, cui sponsata nympa regia, 2380  
Armabit ad pugnam ducesque et milites,  
Iam iam datus rupsis nuptiis turbas novas.

### **Scena secunda**

Incolae Ioppes II

- In. I. Supreme Iuppiter! quis unquam tot cibos,  
Dapes tot opiparas et ampla obsonia  
Vidit, quot hic videntur his in nuptiis? 2390  
In. II. Hic caepe minime, lacrymas scientia,  
Non rapa fumosis recocta carnibus,

Mensas nec instructas onerat agreste olus; Sed cara caro, Panchaei odorem cinnami Latissime fundens, sed ora lancibus Patulis ferarum, sed capita rictu suo Hiantia et mille mihi plane incognita Fercula, nec ante visa nec gustata.	2395
In. I. quis Varia Lyaei poterit efferre laticis Genera, pateris infusa non nisi aureis?	2400
In. II. Non hic bibunt flores nec odore marcidam Vappam, dolore quae coarctet ilia Ventris, sed aemula nectare Bacchi munera, Sapore quae dulci reficiunt pectora Faciuntque, pauper cornua ut sumat sibi. Quot serta dependent laquearibus aureis!	2405
In. I. Quot ubique plectra, quot lyrae, quot tibiae, Quot cantica argumenta animi felicia Laeti sonant!	
In. II. valvis reseratis aurea Patent ubivis atria, patent omnibus.	2410
In. I. Quis numeret omnes de veteri stirpe proceres Ortos, dapes qui splendidas Regis adeunt?	
In. II. Sed unus ad festa illa non comparuit, Qui supremum occupare debebat locum.	
In. I. At ille quis?	
In. II. germanus ille Cephei Regis.	2415
In. I. putasne Phinea?	
In. II. illum ipsum puto, Cui nympha desparsata fuerat regia, Quam fors repetitum veniet armata manu.	
In. I. Veniat vel hodie. nam ipse solus Perseus Monstri triumphator domitorque Phorcydos Capite amputato Phineo resisteret.	2420
In. II. Probabit exitus acta.	
In. I. quid vane times Coeli ruinam incendiumque marmoris? Ingredere rursus festa coniugalia; Ibi Phineum commilitesque Phinei Capacibus expectabimus trientibus.	2425

### Scena tertia

Phineus, Phinei Socii

- Phi. En! nunc meae adsum iustus ulti coniugis.  
 Non te, trifurcifer magiceque Colchice,  
 Pennae tui eripient dolosae Pegasi,  
 Non tuus in imbrem versus astu Iuppiter  
 Te liberabit: hic mea hasta cuspidis  
 Fraxinea aeratae sanguinem bibet tuum.  
 Vos bellica virtute strenui viri,  
 Tu Rhoete, Caucasee Abari cum Phlegya, Clyte  
 Totaque corona militum fortissima, 2430  
 Nolite Persei timere arma magica;  
 Pugnate viriliter atque militariter,  
 Vt rursus inclita potiar sponsa mea.  
 Victoriam obtinebimus certissime.  
 Nam me quietem nocte capientem nigra  
 Ad bella benefico inferenda Perseo  
 Sacra visa Deorum allegerunt per somnia,  
 Optima futurae praenuncia victoriae;  
 Est quippe nobis causa bellandi bona,  
 Occasio nobis favet longe optima, 2440  
 Dum maxima pars vino sepulta fervido  
 Vtramque in aurem dormit, arma non timens.  
 Vobis, necatis et peremptis omnibus,  
 Amplissima didam regna, didam munera.
- So. I. Prognate Phineu regia prosapia, 2450  
 Pugnabo pro tua salute fortiter.
- So. II. Eadem quoque mea mens.
- So. III. Eadem mens quoque mea est;  
 Pugnabimus fortissime omnes, quamdiu  
 Hos spiritus vitalis artus rexerit.  
 Ducamur ergo in hostem, in hostem vadimus.
- Phi. Ruite, ferite, occidite et pessundate; 2455  
 Omnes ferite, parcite Andromedae meae.

## Scena quarta

Gynaeceum, Nutrix, Andromede

- An. Ho larma, larma! sedit*<i>o!* tumultus!  
 Gy. I. ah,  
     Ah, quo ruam?  
 Gy. II. misella perii.  
 Gy. III. heu, heu dolor!  
 Nu. Ah, salva vix evaseram, sic omnia  
     Furore diro percitus Phineus iacit. 2460  
 An. O summe Iuppiter! maritum Persea  
     Meum, tuum defende filium, precor.  
 Nu. Ne per Deos sic, Andromeda mea, timeas!  
     Pallas aderit bellica, suum quae proteget  
     Fratrem aegide invictosque concedet animos;  
     Et anguicomum caput hostes in fugam dabit.  
 An. Ah, quantus oritur clamor? o nutrix mea,  
     Quid consili das? irruamne denuo  
     Visura coniugis mei tristem statum? 2470  
 Nu. Ne feceris, nam dubia Martis alea.  
     At ecce gladio huc advolantem Persea;  
     Fugiamus hinc.  
 Gy. vae, vae, dolor!  
 An. vae, vae, dolor!

## Scena quinta

Perseus, Phineus

- Per. Huc, huc, scelesti, classici moti sator,  
     Quorsum fugis? frustra aufugis, frustra aufugis. 2475  
     Tenete, comprehendite scelus nefarium.  
 Phi. Ah parce, Perseu, monstra iam remove tua  
     Vultusque saxificos Medusae abscondito.  
 Per. Timidissime Phineu, tibine vis paream amplius?  
 Phi. Ah parce, Perseu, parce: belli poenitet. 2480  
     Ah, miseriam! viden', meorum militum  
     Gorgone tua visa riguerunt corpora.

	Ah, Thessalum video Ampicemque proximum Nileaque, Nilo progenitum septemplice.	
Per.	Iam iam, timidissime, mihi dabis gravissimas Poenas: caput enim tu es tumultus et necis.	2485
Phi.	Non odia, non regni ardor ad arma me impulit, Sed bella movimus rapta pro coniuge.	
Per.	Egone tibi, nequissime, rapui tuam? Et non potius numen sacrum Nereidum?	2490
	Divina Nemesis? Iuppiterque Ammonius? Rapui? fateor. at quo, refer, quo tempore	
	Rapui tuam tibi coniugem? illo scilicet, Quo morte iam peritura fuit miserrima.	
	Cur tu patruus et sponsus haud tulisti opem?	2495
	Quod interim servata sit, bellum moves?	
	Mihique mea pro merita rapies praemia? Quae, magna si tibi visa sunt, ex cautibus,	
	Affixa quibus erant, petisses, improbe.	
	Quid sic tremis? contra nil audes proloqui.	2500
Phi.	Est iusta tibi causa. Andromedam habebis tibi, Mihi nihil praeter animam hanc concedito.	
Per.	Hoc tibi petenti dabo: meo violabere Gladio minime; monumenta tibi dabo perpetim	2505
	Mansura, et in socii domo spectabere Semper, mea ut coniux tua se imagine	
	Soletur. extemplo faciem, amici mei, Avertite.	
Phi.	heu! quid mihi rigescunt brachia! Humor oculorum indurat - heu! heu! - mihi, miser!	
Per.	En, nunc habes praemia tua, quibus dignus es. Nam qui dolosam fodicat alteri scrobem,	2510
	Incautus ille in hanc suam fossam ruit; Aliisque bella pace qui rupta movet	
	Caedeque miserorum imperia lucratur sibi, Is sanguinei temerarius autor praelii	
	Merito cadit bello, inque verticem ipsius Omnis recurrit pernicies, technae, doli.	2515

## Scena sexta

Cepheus, Perseus

- Ce. Proh numinum vis summe, proh coelestium!  
 Quis tandem erit hisce gravibus aerumnis modus?  
 Finisque cladi? finis alterius mali  
 Gradus est futuri, nulla mihi serena sors.  
 Quam saepe dulce perturbatur gaudium  
 Tristi exitu! laetusque moesta fert dies!  
 Plerumque virtus atque recti gloria a  
 Malis nocentem patitur inadvertiam. 2520
- Per. Lectissime sacer, ubi mea Andromeda?
- Ce. sedet
- Intus, timore plena fundit lacrymas.  
 O frater! o frater, silex durissima,  
 Nostris quot hic turbas dedisti nuptiis?
- Per. Superos Deos Deasque testor et inferos,  
 Me caedis huius innocentem esse penitus:  
 Ipse fabricavit Phineus sibi hoc malum. 2530
- Ce. Hac pro nova, Perseu gener, victoria  
 Tollere Iovem fas tergeminis honoribus,  
 Cuius labores post tot exactos ope  
 In integrum res nostra iam venit statum,  
 Vt puto.
- Per. Iovi transcribere autori decet  
 Hoc viribus nostris impar negotium.  
 Ergo ad Deorum victimae altaria cadant,  
 Piis Sacerdos precibus onerans aethera  
 Nostram salutem rite commendet Iovi. 2540
- Ce. Hoc ergo sine ulla dabimus effectum mora.

## Scena septima

Bulaeus

- Bul. Quisnam Deorum ex semine satum Persea  
 Negaret? ante qui necavit belluam  
 Neptuniam, nunc mille stravit hostium.  
 Bone Deus? inspectis capillis Phorcydos, 2545

Quot silice concrevere oborto corpora,  
Subiere poenas ausibus dignissimas.  
At Emathionis ut miseret me flaminis!  
Hunc quia prohibebant bella gerere anni graves, 2550  
Sonus loquendo pugnat, arma devovens  
Scelerata; sed manu hostium misere occidit  
Tremula sacra amplectus altaria manu.  
Tu quoque Sacerdos Cereris inclytae Alphite,  
Albente vitta tua velatus tempora, 2555  
Hasta cecidisti Phinea.  
O dira corda militum! quae in praeliis  
Non parcitis mystis Deumque altaribus,  
Nunquam salus vestris erit conatibus.  
Et Lampetides, qui iussus erat suavi dapes 2560  
Celebrare lyra et lautas canendo nuptias,  
Transfixus magni cecidit hasta Pettali.  
Sic plures telis succubissent hostium,  
Virtute nisi capitis resecti Gorgonis  
In saxa convertisset omnem exercitum 2565  
Perseus, honore regio dignissimus.

### Scena octava

Cepheus, Perseus, Praeco, Cives Ioppenses

Ce. Cessate iam tubae, quiescite paululum.  
Perseus Deum immortalium genere sate,  
E finibus nostris fugatis hostibus,  
Nunc abdicabo me lubens regno meo:  
In pace tranquilla mea cum coniuge, 2570  
Quod restat amplius mihi vitae, transigam.  
Ergo opus, ut alius in meum cedat locum  
Rex. namque ubi nullum in populo regnat caput,  
Ibi efferata patrandi licentia 2575  
Invalet, et omnium scelerum ubique segetes  
Surgunt, ut in agris herba surgit noxia.  
At quem coruscante hoc donem diademate?  
Haerede careo masculo; haeres tu, mea  
Andromeda, sola. tibi, gener fortissime,  
Tibi, necata bellua Neptunia, 2580  
Natam meam iunxi sacro connubio.  
Tibi tumultu iam sopito Phinei

	Merito etiam regalia do diademata, Quod postulat virtus tua atque dignitas. Huc, praeco; multitudinem tu convoca, Pompe huic ut adsit mente devota frequens.	2585
Prae.	Cives adeste, adeste, congregamini; Praestate, quisquis advenit, silentium Patulasque dictis regiis aures date.	2590
Ce.	Adeste cives omnes, incolae Ioppensium, Vestrum coram spectatum Principem novum Ritusque inaugurationis publicos. Huic, huic triumphali insidenti currui Vos condecet morem gerere per omnia Proque illo vitam et sanguinem profundere. Hic communi fideliter praeterit bono Et subditos in pace sapienter reget. Invicte Rex Perseu, generis nostri decus, Ecce, hanc coronam auro gravem et radiantibus Interlitam gemmis tuo impono capiti: Iustitia tua sincere ut aurum luceat, Virtuteque omnes antecellas principes. Huncque gladium strictum insero dextrae tuae: Hoc punias sontes, hoc insontes tegas. Quid amplius? quodcunque nobis subiacet, Commendo tibi, trado tibi, subdo tibi.	2595
Per.	Tibi, sacer lectissime, quod honore me Tanto immerentem digneris praeter alios, Nunquam morituras tibi ago agamque gratias. Sed te affuturum spero consilio et ope Et maximi partem allevaturum imperi, Tanto ut oneri siem ferendo facilior.	2600
Ce.	Fiet, gener, fiet: opera aderimus tibi. Qui sceptra cunctis Regibus confert, Deus Tua regna commodis beat successibus. Tu praeco, populo publice pronuncia Tenere iam sceptra Aethyopiae Persea.	2615
Prae.	Huc confluite populi, pedibus properantibus Confluite et animis haec mea dicta figite: Rex Cepheus inclytus, pius, clemens, potens Virtute super convexa coeli cognitum Regem Aethyopiae legit alnum Persea, Vt iusta deinceps iura det, leges bonas Et totius habenas moderetur imperi.	2620
Ci. Iop.	Vivat, vigeat Rex Aethyopiae Perseus Regnetque in annos plurimos feliciter.	2625
Per.	Ego omnibus polliceor hoc sanctissime, Me pro religione, patria, aris et focus	

	Omnes labores suscepturum et vigilias Iuraque daturum diviti atque pauperi, Vt Principem decet pium, iustum, bonum.	2630
Ce.	Haec vera sunt Regum ducumque munia. Nunc omnibus peractis felicissime Circumsonent tubae, tubae plausum intonent; Nunc quoque chorus adsit laeta cantans carmina.	2635
Per.	Huc quoque meam adducite marinam belluam Calidisque deinde concremandam date focus, Foetore ne coinquinet purum aëra. Vos intus regiis, ministri, ferculis Onerate mensas, ponitote pocula, Et cuncta laetitia novisque plausibus Vndique virum circumsonent.	2640

## Chorus virginum alternis canens vicibus

<i>Quem tu, corona puellarum, Honore tolles nobili?</i>	2645
<i>Nos Perseum novum Regem Laeto canemus carmine.</i>	
<i>In Regis inclyti laudem Agite gyros rotatiles.</i>	
<i>En huc, corona puellarum, Quam vernet ore Perseus.</i>	2650
<i>Regale Perseum nomen, At nos decet pulcherrima.</i>	
<i>Rex vivat, Andromeda vivat; Regnentque in annos plurimos.</i>	2655

Finis

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1648 mit dem Titelzusatz „*Ex Metamorph. Ovidiana maxime desumpta et adversus omnem impietatem, temeritatem atque superbiam potissimum conscripta. Olim Argentorati publice exhibita; nunc vero repetita et recusa*“.

Orthographie und Interpunktions wurden überarbeitet und nach Möglichkeit vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *Aethy-* statt *Aethi-* (956, 1956, 2059, 2205, 2211, 2304, 2618, 2623, 2626), *carus* statt *charus* (281, 300, 463, 496, 1402, 1517, 1719), *pulch-* statt *pulc-* (803, 1486, 1941, 1970), *sylv-* statt *silv-* (1031, 1901), enklitisches *-ne* ohne Abstand (191, 200, 472, 1559, 2064, 2290, 2367) sowie 48f. *Quicquid* statt *Quidquid*, 653 *autorem* statt *auctorem*, 770 *coelo* statt *celo*, 1288 *sollicitudines* statt *solicitudines*, 2377 *sollicitavi* statt *solicitavi*. Als Abkürzung für *Cassiope*, *Bulaeus*, *Gynaeceum*, *Nemesis*, *Nuncius* wurde *Cas.*, *Bul.*, *Gy.*, *Nem.*, *Nun.* statt alternativ benutztem *Ca.*, *Bul.*, *Gyn.*, *Ne.*, *Nu.* verwendet, 1018 wurde *Co. III* statt *Co. III.* geschrieben, 1146 *Co. III.* ergänzt, 2617 *Ce.* gestrichen; vor 927, 1077 wurde *Vxor Coloni I.* statt *Coloni I.* *Vxor* gesetzt, vor 460 *Andromede* statt *Andromeda* geschrieben, vor 1242 *Oraculum ...*, vor 1696 *Andromede*, *Gynaeceum* ergänzt.

Stets groß geschrieben wurde: *Rector* (237, 300, 1315, 1320, 2142), *Regina*, *Rex* (650, 655, 1441, 1491, 2259, 2275, 2412, 2615, 2646) sowie 19 *Olympum*, 128 *Divam*, 200 *Diis*, 321 *Divum*, 406 *Divum*, 424 *Stygis*, 509 *Dis*, 592 *Domina*, 666 *Dominatrix*, 687 *Tonantis*, 760 *Olympum*, 838 *Furia*, 1641 *Solis*, 1729 *Dominator*, 1895 *Nympharum*, 1968 *Deas*, 2109 *Olympi*, 2255 *Dominus*, 2257 *Domini*, 2291 *Domine*, 2353 *Hymenae*, 2369 *Dominatrix*, 2540 *Sacerdos*, 2554 *Sacerdos*, 2632 *Principem* sowie im Darstellerverzeichnis *frater*, *coloni primi*; stets klein dagegen - z.T. auch in Anreden: *draco* (1176, 1327, 1344, 1855, 1856, 1870, 1870, 2334), *io* (2095, 2095, 2141, 2141, 2141), *puella* (595, 1758, 1815, 1856, 1979, 1989, 2089), sowie P5 *marinum*, 130 *poli*, 204 *talpa*, 239 *cete*, 318 *germane*, 343 *tridentem*, 378 *soror*, 395 *ambrosia*, 441 *germane*, 539 *obedientia*, 539 *industria*, 588 *lauream*, 590 *virgines*, 603 *industriae*, 605 *virginalis*, 614 *coeli*, 623 *coeli*, 706 *laureae*, 731 *rallae*, 786 *delphina*, 809 *cyclus*, 870 *bruma*, 893 *castitatis*, 928 *leges*, 944 *sponsa*, 944 *sponso*, 987 *leones*, 987 *tygrides*, 988 *rhinocerotibus*, 988 *parades*, 1020 *praeses*, 1114 *nectar*, 1120 *mulier*, 1127 *mulcibere*, 1138 *sycophanta*, 1206 *sancta*, 1234 *ceto*, 1241 *ceto*, 1284 *enthee*, 1395 *filia*, 1412 *cetus*, 1434 *contophori*, 1467 *pater*, 1582 *scipio*, 1584 *sponsa*, 1667 *pater*, 1709 *oraculi*, 1723 *vale*, 1758 *virginum*, 1793 *virgo*, 1805 *virgo*, 1836 *dura*, 1840 *alumina*, 1860 *coelites*, 1864 *ceti*, 1874 *coelites*, 1944 *virgo*, 1955 *iuvenis*, 1965 *iuvenis*, 1984 *iuvenis*, 2031 *coeli*, 2031 *numina*, 2081 *coelites*, 2091 *caballe*, 2112 *coelites*, 2138 *victoria*, 2138 *victoria*, 2151 *ambrosia*, 2151 *nectar*, 2176 *iaspida*, 2185 *filiam*, 2223 *sene*, 2252 *heroa*, 2268 *oogala*, 2309 *heros*, 2314 *tauro*, 2324 *gener*, 2359 *sponsa*, 2480 *poenitet*, 2518 *numinum*, 2524 *virtus*, 2528 *frater*, 2580 *gener*, 2596 *profundere*, 2608 *socer* sowie im Darstellerverzeichnis *coeli*.

388	<i>arces</i> statt <i>artes</i>
521	<i>moveri</i> statt <i>moveare</i>
525	<i>praebeas</i> statt <i>praebeas</i>
530	<i>prava</i> statt <i>parva</i>
639	<i>metus</i> statt <i>metua</i>
675	<i>tugurii</i> statt <i>tugurit</i>
754	<i>purpureo</i> statt <i>purpureos</i>
768	<i>formosa</i> statt <i>formasa</i>
772	<i>sub ursae</i> statt <i>subursae</i>
928	<i>in</i> statt <i>iu</i>
939	<i>unicam</i> statt <i>unciam</i>
1074	<i>benevole</i> statt <i>benevolae</i>
1184	<i>ipsus</i> statt <i>ipsius</i>
1311	<i>litabis</i> statt <i>licabis</i>
1370	<i>in posterum</i> statt <i>imposterum</i>
1575	<i>parentum</i> statt <i>parentem</i> (vgl. 1742)
1576	<i>queo</i> statt <i>bueo</i>
1772	<i>longe</i> statt <i>louge</i>
1817	<i>laudi</i> statt <i>landi</i>
1919	<i>derelicta</i> statt <i>derelict</i>
2012	<i>inexpugnable</i> statt <i>in expugnable</i>
2107	<i>ire</i> statt <i>ira</i>
2127	<i>cuncta</i> statt <i>cunctio</i>
2164	<i>obsecro</i> statt <i>obscro</i>
2175	<i>ambas</i> statt <i>amabas</i>
2195	<i>o</i> statt <i>oh</i>
2248	<i>laeta</i> statt <i>laeto</i>

2341	<i>dones</i> statt <i>donas</i>
2348	<i>tristitiam</i> statt <i>trstitiam</i>
2444	<i>bellandi</i> statt <i>bellandia</i>
2453	<i>fortissime</i> statt <i>fortissie</i>
2458	<i>seditio</i> statt <i>sedito</i>
2467	<i>anguicomum</i> statt <i>angui comum</i>
2512	<i>incautus</i> statt <i>incantus</i>
2569	<i>hostibus</i> statt <i>hostibns</i>
2587	<i>ut</i> statt <i>nt</i>
2587	<i>frequens</i> statt <i>frequens</i>

'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: P16, 6, 16, 19, 21, 23, 35, 38, 43, 43, 44, 48, 51, 59, 77, 77, 92, 118, 123, 148, 149, 150, 154, 155, 157, 181, 183, 198, 217, 228, 248, 264, 272, 273, 276, 277, 281, 283, 285, 285, 287, 305, 335, 337, 375, 379, 381, 384, 388, 388, 388, 394, 395, 402, 403, 406, 417, 419, 425, 435, 439, 464, 474, 495, 511, 515, 517, 531, 541, 563, 574, 592, 596, 599, 602, 604, 607, 628, 629, 647, 651, 652, 656, 661, 662, 670, 673, 678, 681, 701, 711, 738, 746, 761, 769, 789, 790, 791, 800, 813, 830, 835, 840, 841, 842, 867, 878, 904, 910, 921, 941, 946, 971, 978, 980, 987, 990, 994, 1042, 1043, 1045, 1048, 1056, 1060, 1074, 1075, 1078, 1097, 1101, 1123, 1133, 1163, 1170, 1177, 1180, 1200, 1224, 1246, 1247, 1248, 1254, 1278, 1307, 1324, 1326, 1328, 1335, 1335, 1355, 1399, 1402, 1403, 1414, 1432, 1435, 1448, 1493, 1530, 1531, 1551, 1563, 1573, 1618, 1628, 1631, 1660, 1721, 1769, 1777, 1789, 1800, 1810, 1810, 1821, 1884, 1887, 1894, 1895, 1896, 1899, 1900, 1908, 1912, 1915, 1920, 2009, 2012, 2019, 2102, 2109, 2111, 2119, 2123, 2131, 2143, 2166, 2166, 2224, 2228, 2245, 2248, 2248, 2255, 2280, 2305, 2309, 2311, 2313, 2321, 2327, 2337, 2338, 2348, 2354, 2380, 2386, 2389, 2397, 2401, 2423, 2425, 2428, 2466, 2477, 2483, 2483, 2513, 2558, 2561, 2589, 2592, 2595, 2600, 2611, 2620, 2624, 2626, 2630, 2637, 2642

'Komma' gestrichen nach: P1 *marmoris*, P3 *voragine*, P6 *monstrum*, P9 *adit*, P12 *spiritus*, P13 *belluae*, 5 *equos*, 58 *affatim*, 118 *imo*, 121 *gravi*, 167 *soboles*, 181 *obnoxias*, 209 *abire*, 210 *denuo*, 283 *modoque*, 317 *praterita*, 336 *defendere*, 339 *homines*, 340 *culpa*, 353 *quodque*, 360 *genus*, 402 *ovesque*, 425 *monstrum*, 437 *lex*, 447 *existimas*, 462 *praesagit*, 471 *radios*, 528 *consortia*, 536 *vagos*, 564 *bona*, 566 *habet*, 576 *tractu*, 589 *hederis*, 591 *vigilem*, 592 *reliquis*, 594 *Pallade*, 595 *virginalem*, 602 *placito*, 654 *gratia*, 669 *annua*, 678 *mihiue*, 803 *supero*, 807 *supero*, 864 *fabulas*, 888 *decens*, 893 *byssino*, 918 *incolas*, 944 *omni*, 951 *adfers*, 970 *totius*, 987 *tygrides*, 997 *nuncio*, 1012 *capita*, 1021 *Dis*, 1022 *sedibus*, 1023 *crimina*, 1025 *hic*, 1050 *at*, 1053 *armenta*, 1088 *bacillo*, 1184 *hanc*, 1184 *Coro*, 1196 *videsne*, 1221 *liberam*, 1250 *victoriis*, 1259 *fornices*, 1291 *monstrum*, 1294 *tristissimo*, 1296 *coniugem*, 1296 *suavissima*, 1301 *et*, 1301 *quo*, 1301 *expellere*, 1304 *obruttus*, 1318 *aspice*, 1326 *malis*, 1329 *ratione*, 1336 *Nereidum*, 1385 *me*, 1413 *adortum*, 1429 *illius*, 1431 *erit*, 1539 *nunc*, 1539 *tibi*, 1588 *lugebit*, 1618 *subditos*, 1627 *Iuppiter*, 1628 *crimine*, 1708 *cave*, 1732 *infotuniis*, 1767 *hei*, 1773 *ominantes*, 1801 *sepultos*, 1839 *Ioppes*, 1841 *nomen*, 1885 *Gorgonem*, 1897 *adamantino*, 1897 *instructum*, 1901 *saxa*, 1913 *terrisque*, 1966 *stes*, 1988 *infer*, 1991 *parentes*, 2002 *patrem*, 2009 *heros*, 2010, *periculis*, 2028 *at*, 2086 *tuis*, 2091 *io*, 2094 *aethere*, 2100 *abieco*, 2143 *gloria*, 2167 *laudesque*, 2171 *ah*, 2225 *ceti*, 2235 *victoria*, 2242 *subditos*, 2250 *Baccho*, 2255 *bonus*, 2354 *Amorque*, 2367 *scopulo*, 2368 *prognatus*, 2379 *sinus*, 2381 *sanie*, 2383 *incola*, 2434 *Abari*, 2509 *indurat*, 2515 *praelii*, 2522 *gaudium*, 2533 *victoria*, 2601 *gemmis*, 2615 *Deus*, 2629 *focis*

'Komma' ergänzt: P9, P20, 3, 5, 18, 77, 122, 140, 148, 231 *en*, 246, 247 *aestuans*, 249, 250, 252, 263 *nunc*, 277, 279, 288 *et*, 306, 306, 318, 342 *nae*, 344 *en*, 354, 357, 393, 398 *sata*, 427, 430 *sic*, 432 *sic*, 434, 434, 436, 447 *quaeris*, 450 *sed*, 450 *frater*, 450 *mihi*, 451, 462 *heu*, 468 *hoc*, 483, 483, 492 *heu*, 532 *et*, 542 *tu*, 544 *maneas*, 546, 570 *hem*, 577, 580, 580, 581, 583 *altero*, 586, 586, 594 *en*, 598 *perge*, 605 *nunc*, 608, 633, 633, 640 *-di via*, 643 *corripite*, 643 *famuli*, 644, 709, 717 *adesto*, 718, 728, 757, 764 *hem*, 767, 773 *nae*, 780 *quin*, 780 *age*, 791, 798 *scio*, 800, 821, 822, 822, 838 *Furia*, 838 *Cassiope*, 847 *omnia*, 852 *rei*, 880, 880, 881, 883, 884 *Cephei*, 899, 899, 899, 899, 905, 911 *magna*, 911 *parce*, 911 *quae-sumus*, 913 *parce*, 920 *tu*, 923, 935 *ut*, 954, 955, 969 *heu*, 975, 977, 978 *heu*, 978 *heu*, 990, 997 *ego*, 1002 *heu*, 1006, 1008, 1014 *ah*, 1051 *animo*, 1054, 1072, 1072, 1077 *pol*, 1100 *nae*, 1104, 1105, 1107, 1107, 1111 *en*, 1122 *at*, 1124, 1139, 1142 *tibi*, 1144, 1146, 1147, 1147, 1147, 1150, 1152, 1152, 1152, 1168, 1176, 1182 *heu*, 1182 *prorumpit*, 1188 *viden*, 1195, 1197, 1207, 1209, 1210, 1215 *Polyphemicum*, 1216, 1216, 1227 *ah*, 1260 *hic*, 1262, 1277, 1282 *ecce*, 1311, 1352, 1356, 1362, 1369 *confidere*, 1369 *inquam*, 1370 *ut*, 1377, 1389, 1398, 1443, 1443, 1443, 1460 *viden*, 1462 *alumna*, 1464, 1467 *pater*, 1470, 1470, 1477 *merita*, 1482 *loquar*, 1484, 1484, 1487, 1487, 1491 *Cede*, 1493 *ah*, 1496 *nata*, 1500, 1500, 1502 *hem*, 1510, 1512, 1512, 1513, 1517 *ah*, 1521, 1539, 1539, 1546 *attende*, 1559, 1559, 1567, 1567, 1584, 1584, 1598, 1601, 1601, 1602, 1607, 1608, 1608, 1609, 1612, 1612, 1625 *me*, 1635, 1636 *hanc*, 1639 *ah*, 1639 *ah*, 1640, 1640, 1640, 1643, 1643, 1645, 1646, 1646, 1649, 1649, 1650, 1654, 1654, 1654, 1654, 1665, 1666, 1667 *nunc*, 1667 *nunc*, 1667 *pater*, 1670, 1675, 1678, 1678, 1679, 1680 *heu*, 1681 *discedis*, 1681 *eheu*, 1684, 1686, 1686, 1690 *aeru-*

*mnas*, 1695, 1699 *hem*, 1700, 1703 *ah*, 1704, 1705, 1705, 1705, 1708 *mater*, 1712 *mecum*, 1712 *age*, 1713, 1714, 1716, 1716, 1719, 1722 *ah*, 1722 *me*, 1723 *mater*, 1724 *ah*, 1729, 1729, 1729, 1730, 1736 *hic*, 1736 *manus*, 1738 *apage*, 1745, 1746, 1747, 1750 *educa-vi*, 1750 *nata*, 1755, 1755, 1760, 1760, 1761, 1763 *ah*, 1765 *hei*, 1766, 1767 *hei*, 1774 *hei*, 1777 *tuque*, 1778 *tuque*, 1781 *hei*, 1789, 1802, 1813 *freta*, 1819 *vos*, 1820 *vos*, 1844 *ergo*, 1844 *Andromeda*, 1847 *ah*, 1859, 1860, 1861, 1862, 1863, 1865 *vos*, 1866 *quid*, 1866 *eheu*, 1877, 1889 *omne*, 1890 *tantum*, 1927 *age*, 1936 *procede*, 1942, 1943 *quid*, 1947, 1947, 1947, 1947, 1950, 1950, 1952, 1952, 1963, 1963, 1969, 1969, 1984 *iuvensis*, 1987 *summe*, 1987 *las-sam*, 1987 *Iuppiter*, 1992, 2003, 2004, 2006 *Dii*, 2012, 2012, 2019, 2030 *en*, 2039 *is*, 2039 *fallor*, 2041, 2041, 2043 *ego*, 2049, 2049, 2054 *age*, 2058 *placuerit*, 2065, 2072, 2073, 2073, 2083, 2085, 2088, 2091 *caballe*, 2096, 2096, 2097, 2098 *eheu*, 2100 *nunc*, 2104 *secu-ra*, 2107, 2107, 2112 *iuvate*, 2121, 2122, 2124, 2125 *ah*, 2130, 2134 *age*, 2134 *iuvensis*, 2136, 2138, 2139 *io*, 2156 *es*, 2164, 2164, 2168, 2168, 2170, 2181 *vale*, 2183, 2184, 2187, 2187, 2188, 2191 *quid*, 2194 *hem*, 2195, 2209 *vana*, 2217 *Deorum*, 2223 *vides*, 2226, 2231, 2259, 2264 *ut*, 2264 *quaeso*, 2276 *ah*, 2285, 2286 *ah parce*, 2290 *hem*, 2291 *parce*, 2293, 2296, 2296, 2298 *huc*, 2298 *parce*, 2301, 2301, 2306 *hui*, 2308, 2316 *restat*, 2328 *Andromeda*, 2335, 2335, 2340, 2365 *egone*, 2369 *poli*, 2373, 2405, 2458, 2458, 2459 *heu*, 2460 *ah*, 2464, 2464, 2468, 2468, 2474 *huc*, 2474 *huc*, 2477 *parce*, 2480 *parce*, 2481, 2481, 2483, 2485, 2485, 2487 *impulit*, 2489, 2489, 2493, 2499 *petisses*, 2507 *mei*, 2509, 2510, 2510, 2518, 2527, 2528, 2528, 2579, 2580, 2586 *huc*, 2589, 2589, 2591 *omnes*, 2599 *decus*, 2600, 2608 *tibi*, 2640, 2640, 2644, 2644, 2650, 2650

'Komma' statt 'Punkt': 125, 242, 307, 542 *mihi*, 601 *pia*, 741 *compita*, 1170, 1189 *nuncia*, 1222, 1369 *successibus*, 1453, 1591, 1769 *senes*, 1808, 1827, 1914, 1922 *placet*, 2024, 2025, 2028 *ego*, 2218, 2277, 2344, 2349, 2442, 2534, 2563, 2569

'Komma' statt 'Doppelpunkt': P20, 4, 7, 12, 42, 63, 71, 72, 74, 81, 103, 145, 161 *alteri*, 179, 197, 213, 231 *fratrem*, 237 *sali*, 248, 254, 255, 258, 270, 285, 302, 302, 314, 329, 338, 349, 354 *est*, 373, 400, 404, 416, 430 *volo*, 430 *expedit*, 432 *iniuria*, 443 *est*, 456, 485, 666 *Nigridos*, 715, 810, 812, 861, 870, 934, 1168, 1293, 1320, 1322 *praescie*, 1330, 1349, 1353, 1376, 1418 *haec*, 1418 *tricae*, 1468 *mihi*, 1468 *hei*, 1480, 1480, 1488, 1560 *mea*, 1572, 1574, 1576, 1592, 1625 *canet*, 1659, 1724 *mea*, 1754, 1755 *dolor*, 1762, 1762, 1762, 1765, 1765, 1768, 1774 *dolor*, 1781 *dolor*, 1781 *dolor*, 1805, 1822, 1888 *repudiati*, 1926, 1987 *precor*, 2011, 2032, 2063, 2092, 2098 *iuvensis*, 2108 *ehem*, 2115, 2116, 2125 *globos*, 2126, 2147, 2148, 2148, 2150, 2150, 2150, 2163, 2198, 2199, 2200, 2291, 2317, 2353, 2382 *excita*, 2391 *cien-tia*, 2395, 2396, 2403 *ventris*, 2429, 2459 *ah*, 2505, 2514, 2521, 2539

'Komma' statt 'Strichpunkt': 117, 1249

'Komma' statt 'Fragezeichen': 294, 463 *putem*, 560, 685, 982, 1046, 1266, 1411, 1968, 2390

'Komma' statt 'Ausrufezeichen': 1186, 1760 *hei*

'Komma' statt 'Klammer': 668, 668, 1021, 1021, 1452, 1452

'Punkt' gestrichen: 18 *grandine*, 31 *Lampsaco*, 439 *velit*, 558 *adhaereas*, 679 *pulcherrimam*, 839 *immortalium*, 980 *buculae*, 992 *plicat*, 1599 *reor*, 1772 *optimo*, 1941 *foeminae*, 2384 *prom-tissimo*, 2404 *pectora*, 2576 *segetes*, 2617 *pronuncia*, 2621 *potens*

'Punkt' ergänzt: 262, 487 ..., 701, 1293, 1308, 1521 ..., 1639 ..., 1660, 1745 *vapula*, 1779, 2452, 2593

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 139, 222, 235, 256, 259, 309, 343, 372, 400, 407, 408, 501, 702, 798, 862, 876, 899 *explica*, 963, 1015, 1047, 1049, 1053, 1093, 1217 *penitus*, 1347, 1377, 1378, 1506, 1575, 1590, 1673, 1700, 1811, 1812, 1835, 1836, 1911, 1955 ..., 2120, 2127, 2291 *tibi*, 2294 *mihi*, 2337, 2438, 2480, 2492, 2510, 2574, 2596, 2610

'Punkt' statt 'Strichpunkt': 1686, 2232

'Punkt' statt 'Komma': 229, 240, 249 *viros*, 337, 402, 437 *faveas*, 491 *homini*, 505, 524, 551, 590, 634, 637, 683, 690, 742, 774, 824, 856, 932, 948, 952 *volo*, 986, 993, 999 *Tethyos*, 1104, 1114, 1137 *tibi*, 1201, 1251, 1286, 1297, 1304, 1388, 1404, 1423, 1454, 1494, 1522 *patri*, 1539 *pereo*, 1599, 1602, 1677, 1719, 1721, 1722, 1790, 1817, 1833, 1840, 1842, 1843 *castra*, 1927, 1938, 1977, 1989, 2030, 2049 *pone*, 2071, 2124, 2139 *fera*, 2194 *spiritus*, 2230, 2237, 2303 *sumus*, 2323, 2327, 2329, 2334, 2454, 2471, 2475, 2486, 2548, 2585, 2614

'Punkt' statt 'Fragezeichen': P10, 283, 1301, 1329

'Strichpunkt' gestrichen: 144 *haec*, 435 *gratulor*

'Strichpunkt' ergänzt: 1120, 1951, 2171

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 17, 739, 922, 989, 991, 1451, 1519, 2004, 2466, 2654

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 85, 106, 171, 172, 214, 220, 231, 247, 257, 265, 312, 319, 358, 390, 397, 399, 417, 497, 710, 1166, 1261, 1419, 1436, 1791, 1814, 2033, 2060, 2081, 2281, 2315, 2336, 2393, 2436, 2504, 2512, 2552, 2579

'Strichpunkt' statt 'Komma': 24, 160, 234, 279, 351, 454, 488, 499, 547, 552, 555, 570, 642, 651, 671, 722, 781, 783, 789, 793, 820, 822, 858, 925, 940, 984, 1061, 1075, 1091, 1104, 1105, 1111, 1123, 1136, 1150, 1187, 1197, 1236, 1255, 1266, 1279, 1283, 1306, 1312, 1317, 1327, 1358, 1383, 1389, 1393, 1405, 1430, 1489, 1507, 1523, 1530, 1533, 1545, 1567, 1569, 1582, 1584, 1598, 1600, 1609, 1620, 1643, 1648, 1650, 1684, 1686, 1708, 1714, 1717, 1720, 1730, 1750, 1771, 1780, 1789, 1809, 1825, 1848, 1858, 1932, 1939, 1985, 2003, 2020, 2028,

2095, 2104, 2129, 2137, 2156, 2158, 2187, 2189, 2231, 2265, 2424, 2443, 2452, 2456, 2472, 2588, 2635

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 311 *admittere*, 361 *levabit*, 405 *domos*, 499 *has*, 657 *nobilissima*, 872 *nitor*, 1126 *dispendia*, 1671 *hoc*, 1671 *hoc*, 1672 *amplexatio*, 1730 *devoret*, 1765 *hei*, 2073 *subi*, 2594 *currui*

‘Doppelpunkt’ ergänzt: 1736, 2130, 2604

‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 305, 1779

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 43, 107, 109, 147, 212, 342, 441, 445, 505, 512, 644, 717, 780, 822, 860, 1051, 1094, 1197, 1231, 1295, 1325, 1356, 1392, 1460, 1462, 1542, 1648, 1856, 1931, 1950, 2090, 2122, 2136, 2138, 2174, 2325, 2464, 2480, 2531

‘Fragezeichen’ gestrichen: P9 *mali*, 725 *deceant*, 728 *laminae*, 771 *odio*, 1300 *immiserit*

‘Fragezeichen’ ergänzt: 725

‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 104, 729, 833, 906, 962, 983, 1038, 1047, 1086, 1415, 1537, 1639, 1640, 1642, 1692, 1699 *redit*, 2146, 2191, 2390, 2412

‘Fragezeichen’ statt ‘Strichpunkt’: 429 *displacent*, 784, 1957

‘Fragezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 887, 949, 1953

‘Fragezeichen’ statt ‘Komma’: 241, 2089, 2223

‘Ausrufezeichen’ gestrichen: 1760 *hei*, 1760 *hei*

‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 462, 537, 978, 1235, 1755 *dolor*, 2363 *io*, 2473 *dolor*, 2481

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 794, 1638, 1669, 1670, 1674, 1676, 1681, 1798, 1804, 1818, 1984, 2251 *tripudio*, 2294, 2352 *omnes*, 2364 *omnes*

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 1373, 1538, 1565, 1601 *gravem*, 1607, 1634, 1666 *dolor*, 1666 *gemitus*, 1680, 1686, 1688, 1724, 1749, 1754, 1755 *gemitus*, 1755 *dolor*, 1765, 1765, 1765, 1767, 1767, 1767, 1987, 2118, 2509

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 453, 794, 898, 1109, 1122, 1154, 1933, 2259, 2289 *Cerberum*, 2302, 2363 *iubilemus*

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Fragezeichen’: 2406, 2409

‘Gedankenstriche’ ergänzt: 462, 492, 969, 969, 1025, 1050, 1088, 1182, 1385, 1588, 1991, 2509

‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 537